



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.  
Thomae Aquinatis**

**Nazarius, Johannes P.**

**Coloniae, 1621**

Qvaestio Octava. De gratia Christi secundum quod est caput Ecclesiæ, in  
octo articulos diuisa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82325](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82325)

nitur in humana Christi natura ante unionem, vt A  
pater ex dictis supra quæst. 4. art. 2.

Expositio Textus.

**V**IDENDA sunt, quæ notat Caiet. circa diuersas  
propositiones & dicta D. Th. & ea quæ notat  
Aluar. & quæ scripsimus super art. 6. q. 6. quibus ni-  
hil aliud addendum occurrit.

QVÆSTIO OCTAVA.

De gratia Christi secundum quod est caput Ecclesie,  
in octo articulos diuisa.

**D**Einde considerandum est de gratia Christi, secundum  
quod est caput Ecclesie.

Et circa hoc quaeruntur octo.

Primo, vtum Christus sit caput Ecclesie.

Secundo, vtum sit caput hominum, quantum ad cor-  
pora: vel solum quantum ad animas.

Tertio, vtum sit caput omnium hominum.

Quarto, vtum sit caput Angelorum.

Quinto, vtum gratia Christi, secundum quam est ca-  
put Ecclesie, sit eadem cum gratia habituali eius, secundum  
quod est quidam homo singularis.

Sexto, vtum esse caput Ecclesie, sit proprium Christo.

Septimo, vtum Diabolus sit caput omnium malorum.

Octauo, vtum Antichristus etiam possit dici caput o-  
mnium malorum.

Ratio ordinis.

**P**OSTQVAM de gratia Christi, prout assumptæ  
humanitatis perfectio est, disseruit quæstione  
præcedenti S. D. nunc de eadem agit gratia, qua-  
tenus ex eo veluti ex capite diffunditur ad alios  
tanquam ad membra, ex quibus simul & capite v-  
num Ecclesie corpus integratur: propter quod  
inseparabiliter hæc quæstio de gratia Christi, secun-  
dum quod est caput Ecclesie: Cuius quæstionis  
octo sunt Articuli: Tres enim habet præcipuas  
partes: in prima agit de Christo, prout secundum  
gratiam est caput Ecclesie: In secunda secundum  
quam gratiam Christus est caput Ecclesie: In tertia  
quaeritur differentia inter Christum, & alios quo  
ad esse caput Ecclesie, vel aliquorum. Prima tres  
habet partes: In prima tractatur: An sit Christus  
caput Ecclesie: & quid sit esse caput Ecclesie: que  
duo quæsitæ primo determinantur artic. In secun-  
da quaeritur, qua ratione ex parte hominum sit eo-  
rum caput, an sc. quantum ad corpora, vel solum  
quantum ad animas: & hæc secundum continetur  
artic. In tertia quaeritur respectu quorum Christus  
sit caput: & primo, an sit caput omnium hominū,  
quibus datus est in Saluatorem, & cum quibus com-  
munem habet humanitatem: Secundo, vtum sit  
caput etiam Angelorum. Secunda pars principalis  
vno tantum scil. quinto continetur artic. Tertia  
pars tres habet articulos, nimirum sextum, in quo  
quaeritur an esse caput Ecclesie secundum omnes  
sc. eius partes, sit proprium Christo: & duos sequen-  
tes, in quib. de capite secundum particulares quæ-  
dam rationes, & respectu quorundam tantum sc. E  
malorum hominum disputatur: in septimo quidē,  
an Diabolus sit caput omnium malorum, in octa-  
uo vero: num etiam Antichristus dici valeat caput  
omnium malorum. Ex his enim patet an, & quo-  
modo proprium sit Christo esse caput Ecclesie,  
quæ est congregatio fidelium continens bonos &  
malos, extra quam innumera est malorum homi-  
num multitudo, de quorum & fidelium simul  
etiam malorum capite disputatur in di-  
ctis duobus postremis ar-  
ticulis.

ARTICVLVS I.

Vtrum Christus sit caput Ecclesie.

**A**D primum sic proceditur. Videtur, quod Christo se-  
cundum quod est homo, non competat esse caput Eccle-  
sie. Caput enim influit sensum, & motum in membra. Sen-  
sus autem, & motus spiritualis, qui est per gratiam, non in-  
fluitur nobis à Christo homine: quia sicut Aug. dicit in lib.  
de Trin. nec etiam Christus, secundum quod est homo, dat  
Spiritus sanctum, sed solum in quantum est Deus: ergo ei,  
secundum quod est homo, non competit esse caput Eccle-  
sie.

**B** Præterea: Capitis non videtur esse aliud caput. Sed Chri-  
sti, secundum quod est homo, est caput Deus: secundum il-  
lud prima ad Cor. 11. Caput Christi Deus. Ergo ipse Chri-  
stus non est caput.

Præterea: Caput in homine est quoddam particulare  
membrum influentiam recipiens à corde. Sed Christus est  
vniuersale principium totius Ecclesie. Ergo non est Ecclesie  
caput.

Sed contra est, quod dicitur Eph. 1. Ipsum dedit caput  
super omnem Ecclesiam.

Respondendo dicendum, quod sicut tota Ec-  
clesia dicitur v-  
num corpus mysticum per similitudinem ad naturale cor-  
pus hominis, quod secundum diuersa membra habet diuer-  
sos actus (vt Apost. docet Rom. 12. & 1. ad Cor. 12.) ita  
Christus dicitur caput Ecclesie secundum similitudinem  
humani capitis. In quo tria possumus considerare, scilicet  
ordinem, perfectionem, & virtutem. Ordinem quidē: quia  
caput est prima pars hominis, incipiendo à superiori. Et in-  
de est, quod omne principium consuevit vocari caput: secun-  
dum illud Ezch. 16. Ad omne caput via edificasti signum  
prostitutionis tue. Perfectionem autem: quia in capite vi-  
gent omnes sensus, & interiores, & exteriores, cum in cæte-  
ris membris sit solus tactus: & inde est, quod dicitur Isa. 9.  
Senex, & honorabilis ipse est caput. Virtutem vero: quia  
virtus, & motus ceterorum membrorum, & gubernatio eo-  
rum in suis actibus, est à capite, propter vim sensitiuam, &  
motiuam ibi dominantem: vnde, & rector dicitur caput  
populi, secundum illud 1. Reg. 15. Cum eses paruulus in oculis  
tuis, caput in tribubus Israel factus es. Hæc autem tria  
competunt Christo spiritualiter. Primo enim secundum pro-  
pinqunitatem ad Deum gratia eius altior est, & prior (etsi  
non tempore) quia omnes alij receperunt gratiam per respec-  
tum ad gratiam ipsius: secundum illud Rom. 8. Quos præ-  
sciuit, hos & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui,  
vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Secundo vero  
perfectionem habet quantum ad plenitudinem omnium gra-  
tiarum: secundum illud Ioan. 1. Vidimus eum plenum gra-  
tia, & veritatis: vt etiam supra ostensum est. Tertia virtu-  
tem habet influend. gratiam in omnia membra Ecclesie se-  
cundum illud Ioan. 1. De plenitudine eius nos omnes accepimus.  
Et sic patet, quod Christus conuenienter dicitur Eccle-  
sie caput.

Ad primum ergo dictum, quod dare gratiam, aut Spi-  
ritum sanctum conuenit Christo secundum quod Deus, au-  
thoritative: sed instrumentaliter conuenit etiam ei, secun-  
dum quod homo, in quantum scilicet eius humanitas instru-  
mentum fuit diuinitatis eius. Et ita actiones ipsius ex virtu-  
te diuinitatis fuerunt nobis salutaris: vt potestatem gratiam in  
nobis causantes, & per meritum, & per efficientiam quan-  
dam. Aug. autem negat Christum, secundum quod homo  
est, dare Spiritum sanctum per authoritatem: instrumen-  
taliter autem, siue ministerialiter etiam alij Sancti dicitur  
dare Spiritum sanctum: secundum illud Galat. 3. Qui  
tribuit vobis Spiritum, &c.

Ad secundum dicendum, quod in metaphoricis locutio-  
nibus non oportet attendi similitudinem quantum ad o-  
mnia: sic enim non esset similitudo, sed rei veritas. Ca-  
pitis igitur naturalis non est caput aliud, quia corpus  
humanum non est pars alterius corporis: sed corpus  
simili-

Inf. q. 48. a.  
1. & ca. q. 4.  
49. a. 2. 50.  
2. 3. di. 13.  
q. 2. ar. 1. &  
ver. q. 29.  
ar. 3. c. 5. &  
ar. 5. c. 5. o-  
puse. 3. c. 223.  
2. op. 60. c.  
1. col. 9. & r.  
co. 11. l. 1. col.  
2. & Ephes.  
1. f.  
Lib. 1. c. 12.

como 3.

q. præ. ar. 9

D. 430.

Kk

simili-

similitudinarie dictum, idest aliqua multitudo ordinata, A  
est pars alterius multitudinis: sicut multitudo domestica  
est pars multitudinis cuius is: & ideo paterfamilias, qui est  
caput multitudinis domestica, habet supra se caput recto-  
rem ciuitatis. Et per hunc modum nihil prohibet, caput Chri-  
sti esse Deum, cum tamen ipse Christus sit caput Ecclesie.

Ad tertium dicendum, quod caput habet manifestam  
eminentiam respectu exteriorum membrorum: sed cor ha-  
bet quandam influentiam occultam. Et ideo cor di compa-  
ratur Spiritus sanctus, qui inuisibiliter Ecclesiam viuifi-  
cat, & vnit: capiti comparatur ipse Christus secundum vi-  
sibilem naturam, secundum quam homo hominibus prae-  
fertur.

Sensus quaesiti.

Q VOD sit esse caput Ecclesie declarat S. D. in B  
corpore & in solutionibus argumentorum. Nomen  
autem Ecclesie sumitur in ampla & vniuersali si-  
gnificatione, quatenus comprehendit Ecclesiam  
triumphantem, militantem & in Purgatorio exi-  
stentem, vt notant Medina & Suarez.

Forma Textus.

C O N C L. est: Christus dicitur caput Ecclesie secundum  
similitudinem humani capitis. Probatur: quia to-  
ta Ecclesia dicitur vnum corpus mysticum per si-  
militudinem ad naturale corpus hominis, quod  
secundum diuersa membra habet diuersos actus:  
Ergo Christus recte dicitur caput Ecclesie secun-  
dum similitudinem humani capitis. Antecedens C  
probatur ex Apostolo Rom. 12. & 1. ad Cor. 12. Con-  
sequentia vero probatur ratione sequenti, quae  
potest esse altera probatio Conclusionis, videli-  
cet: In humano capite tria possumus considerare,  
scilicet ordinem, perfectionem & virtutem, ex  
quibus ad aliquos homines deriuatur nomen ca-  
pitis per similitudinem: Sed haec omnia compe-  
tunt Christo spiritualiter: Ergo. Maior probatur  
quo ad singulas partes: & primo quo ad primam,  
scilicet ordinem: quia caput est prima pars homi-  
nis incipiendo à superiori, ex quo factum est, vt o-  
mne principium consueuerit vocari caput, iuxta  
illud Ezech. 16. Ad omne caput via, &c. Quo ad secun-  
dam vero partem scilicet perfectionem probatur:  
quia in capite vigent omnes sensus, & interiores  
& exteriores, cum in ceteris membris sit solus ta-  
ctus: ex quo deriuatum est illud dictum 1. Sa. 1. Se-  
nex, & honorabilis ipse est caput. Quo ad tertiam de-  
mum partem sc. virtutem probatur: quia virtus &  
motus ceterorum membrorum, & gubernatio  
eorum in suis actibus est à capite propter vim sen-  
sitivam & motiuam ibi dominantem, ex quo fa-  
ctum est, vt rector dicatur caput populi, iuxta il-  
lud 1. Reg. 15. Cum eses paruulus in oculis tuis caput in  
tribus, Israel factus es. Minor vero quo ad singulas  
eius partes probatur, & primo quo ad primam, sc.  
ordinem, secundum quem caput est prima & su-  
prema pars hominis: quia secundum propinqui-  
tatem ad Deum gratia Christi altior est, & prior (&  
si non tempore) quia omnes alij acceperunt gra-  
tiam per respectum ad gratiam ipsius secundum  
illud Rom. 8. quos praesciuit, & praedestinauit conformes  
feri imaginis filii sui, vt sit ipse primogenitus in multis fra-  
tribus. Quo ad secundam vero partem probatur:  
quia perfectionem habet quantum ad plenitudi-  
nem omnium gratiarum, iuxta illud Ioan. 1. Vidi-  
mus eum plenum gratia, & veritatis, vt etiam osten-  
sum est quaest. praecedenti articulo 9. Vltima vero pro-  
batur: Quia Christus virtutem habuit influendi  
gratiam in omnia membra Ecclesie, secun-  
dum illud Ioan. 1. De plenitudine eius  
omnes acceperunt.

Expositio Textus.

T A M E T S I Theologia symbolica non sit argu- Christi ca-  
mentatiua, & secundum Philosophi documē-  
tum in secundo Post. tex. 22. Scientifico discursu me-  
taphorae minime congruant, sacrae tamen huic  
doctrinae maxime conuenit spiritualia fidei myste-  
ria sub rerum corporearum similitudinibus expli-  
care, vt probat S. D. 1. p. q. 1. a. 9. vbi nos quatuor de-  
cim causas ex totidem utilitatibus metaphoricarum  
locutionis adduximus, & quasdam regulas ad ha-  
bendam eiusmodi locutionis notitiam necessa-  
rias indicauimus: Et quemadmodum vnam ac  
simplicissimam Dei perfectionem sub multiplici-  
bus ac variis rerum sensibilibus similitudinibus  
diuina scriptura proponit, sic vnam & ineffabilem  
incarnati Verbi dignitatem, virtutem & excellen-  
tiam, qua rationalibus & intellectualibus omni-  
bus praesidet creaturis, & in eas veluti sui mystici  
corporis membra mirabili & efficacissimo quo-  
dam influxu supernaturalia dona communicat,  
sub variis aptissimisque rerum corporearum me-  
taphoris fidelibus intelligenda repraesentat. Ex  
quibus septem breuiter attingemus.

Et dua quidem habentur 1. Sa. 11. vbi Christus di-  
citur Radix Iesse, qui stat in signum populorum. Quibus  
verbis duae praecipuae tanguntur conditiones ad  
rationem capitis tam proprie quam metaphorice  
dicti necessariae: quas etiam recedit S. D. in textu:  
Vna est, quae tertium in hoc articulo locum tenet,  
virtus nimirum influens occulte vitales actus &  
operationes in membra: quam nomine radices in-  
sinuat Isaias. Sicut enim radix arboris occulta est  
& sub terra recondita, ita vt conspici minime va-  
leat, & ex eius influxu vitali quaedam vis & opera-  
tio ad reliquas omnes arboris partes deriuatur: ita  
Christi virtus spiritualis viuifica nobis occulta in-  
fluxu quodam interno & inuisibili fidem, spem,  
gratiam & charitatem, ac caetera supernaturalia  
dona fidelibus veluti sui corporis membris perpe-  
niter influit, vt caelestibus verbis affirmat Aposto-  
lus ad Ephes. 4. dicens: Veritate facientes in charita-  
te crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo  
totum corpus compactum, & connexum per omnem iun-  
cturam subordinationis secundum operationem in men-  
suram vniuscuiusque membri augmentum corporis facit  
in aedificationem sui in charitate. Altera capitis condi-  
tio est, vt secundum ordinem sit prima pars homi-  
nis incipiendo à superiori, ac proinde vt visibilem  
habeat eminentiam, & visibilem exerceat totius  
corporis gubernationem. Hanc vero conditionem  
Christo Domino conuenire significat Isaias cum  
subdit: Qui stat in signum populorum: Nam quemad-  
modum sub vexillo veluti tutissimo saluus Asilo  
summa diligentia, ne ab hostibus auferatur, mu-  
nito milites adunantur, vt facilius irruentibus ho-  
stibus obstant, & eorum impetu fracto victores  
euadant: ita sub capite membra corporis aduna-  
ta, & ad eius influxum recipiendum bene disposi-  
ta conseruantur, & eius adeo conseruationi sunt  
intenta, vt pro eius salute tuenda percussionebus,  
ictibus ac aliis consimilibus malis seipsum cum ma-  
nifesto periculo propriae salutis obiciat: sic igitur  
ex his, quae propria sunt, ad ea quae metaphorice  
Christo capiti & eius membris congrua locutione  
dicuntur, transeundo dicendum est Christum si-  
milem esse militari vexillo, quia sub eo spiritualis  
militiae bellatores custodiuntur, & ex eius tanquam  
capitis influxu spiritualis vita fidelium conserua-  
tur & augetur: atque ideo in eius gloria tuenda, &  
amplificanda totis viribus fideles omnes inten-  
dunt, & ij praerant, qui charitatis perfectione,  
dignitate, vel munere supra ceteros eminent.

Tertia

Tertia metaphora vitis vocabulo continetur, dicente Domino S. Apostolis Ioan. 15. *Ego sum vitis vera, & vasa palmis: In hoc vero posita est similitudo, ut sicut vitis prius ac principaliter habet vitam & alimentum, quæ ex ea deriuantur ad palmes vitæ coniunctos, ita Christo primo ac plenissime conuenit vita gratiæ & diuinæ virtutis influxus in eius humanitate receptus, ut instrumento Deitati personaliter vnito, quæ ex eo ad eius corpus, quod est Ecclesia ex fidelibus veluti membris constituta, deriuantur.*

Quarta metaphora est Solis & lucis: Ioannis 8. *Ego sum lux mundi:* In sole vero, qui lucem affert huic nostro mundo visibili, duo sunt, in quibus illi Christus maxime assimilatur: primum est eminentia secundum situm in vniuerso. Secundum est: virtutis efficacia, quæ multiplices in hisce corporibus inferioribus efficit mutationes: quæ duo iam supra diximus Christo Domino quam maxime conuenire: fidelibus enim omnibus gratiæ perfectione primo illi conueniente supereminet, & lux virtutis influxu fidelibus illi cõiunctis gratiam & alia supernaturalia dona in melius eos immutandis communicat.

Quinta metaphora est apud Apostolũ prima Cor. 3. dicente: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est quod est Christus Iesus.* Ad quam etiam pertinet nomen petra: ibidem cap. 10. *Petra autem erat Christus:* quia spiritualis ædificii, quod est Ecclesia, firmissimum principium & origo indeficiens designatur. Sed quia fundamẽto deest ornamentum & consummatio, similitudinem hanc lapidis angularis similitudine compleuit Matt. 21. vbi Christus se lapidem illum esse pronunciat, de quo Psal. 117. dicitur: *Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Sicut enim lapis angularis partes ædificii cõnecti & opus consummat ac perficit, ita Christus Ecclesiæ coniunctus illi spiritualis perfectionis affert complementum.

Sexta metaphora est, quia Christus Sponsus & vir, Ecclesia vero Sponsa & vxor eius nuncupatur: quam similitudinem late prosequitur Apostolus ad Ephes. quinto cap. dicens: *Vir caput est Mulieris sicut Christus caput est Ecclesiæ, ipse Saluator corporis eius: sed, sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita & Mulieres Viris suis in omnibus. Viri diligite Vxores vestras sicut & Christus dilexit Ecclesiam, &c.* Et infra. *Qui suam vxorem diligit, seipsum diligit: nemo enim vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fouet eam, sicut & Christus Ecclesiam: quia membra sumus corporis eius de carne eius, & de ossibus eius: Propter hoc relinquet homo Patrem, & Matrem suam, & adheret Vxori suæ, & erunt duo in carne vna: Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico in Christo, & in Ecclesiæ. Et Matthæi 9. seipsum Dominus Sponsum appellat dicens: *Nunquid possunt filij Sponsi lugere, quamdiu cum illis est Sponsus: Venient autem dies, cum auferetur ab illis Sponsus, & tunc ieiunabunt.* Et Apocal. 21. scriptum est: *Veni, ostendam tibi Sponsam agni: & sustulit me in montem magnum, & altum, & ostendit mihi ciuitatem sanctam Hierusalem descendentem de Cælo &c.* In quibus diuinæ scripturæ locis tres conditiones Christo conuenientes in ordine ad Ecclesiam indicantur. Prima est eminentia, cum dicitur: *Vir caput est Mulieris.* Secunda est vnitas, non solum naturæ, sed etiam affectus, & charitatis, cum subditur: *Viri diligite Vxores vestras, &c.* Tertia est spiritualium bonorũ influxus, & communicatio, cum dicitur: *Nemo vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fouet eam &c.* Vnde Ioannis 14. potestatem miraculorum sibi propriam discipulis, aliisque fidelibus se se communicaturum promittens ait: *Qui credit in Naz. in D. Thom. 3. parsem.**

me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.

Vltima demum similitudo, quæ realem & intimam Christi cum Ecclesiæ declarat vnitatem, eminentiam, perfectionem, influxum & spiritualium bonorum communicationem, ea est quam Apostolus loco supra notato verbis illis expressit: *Vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ, ipse Saluator corporis eius.* Prædictæ vero conditiones Christo, quatenus Ecclesiæ caput est, conuenire declarat S. D. in textu.

Hanc autem veritatem, quæ cõclusio est præsentis articuli, Christum scilicet esse caput Ecclesiæ, docent passim diuinæ litteræ: Nam ad Eph. 1. dicitur: *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimplet.* Ad Coloss. primo: *Ipse est caput corporis Ecclesiæ: primæ Cor. quinto: Nescitis quia corpora vestra membra sunt Christi.* Et Roman. 11. Et 1. Cor. 12. Sanctus Apostolus varias functiones, & alterna membrorum officia sub vnius capitis Christi regimine eis congruentia luculenter expressit: Quibus adde S. Patrum explicationes: Augustini in Psal. 139. à principio, & Epist. 57. Basilii lib. de Spiritu S. cap. 5. Hilarii lib. 8. de Trinit. & lib. de synodus. cap. 38 & super Psal. 139. Est igitur conclusio S. Doct. in textu certissima fidei veritas.

Secundo obseruandum est, duplex esse caput Ecclesiæ: Alterum inuisibile, quod Deus est, à quo ut supremo ac eminentissimo principio vita tota spiritualis ac motus omnis noster in bonum deriuatur: Alterum est visibile & membris corporis simile habens naturam, & hoc est Christus Deus simul & homo. Ad cuius euidentiam

Tertio considerandum est, rationem capitis neque ex humanitate præcise, neque ex diuina natura aut personalitate præcise, sed ex utroque simul sumpto (diuersa tamen ratione) Christo Domino conuenire: Nam sicut humanitas illi fuit ratio formalis merendi & satisfaciendi, persona autem diuina in ipsa humanitate subsistens valorem merito & satisfactioni tribuit infinitum: ita ut totus Christus Deus hoc non vnum esset principium satisfactionis: sic humanitas ratio formalis est, qua Christus est Ecclesiæ caput: Verbum autem rationem capitis Christo confert ut suppositum in humanitate subsistens: ita ut quasi mutuo pendeant Verbum ab humanitate, & hæc à Verbo: confert enim humanitas Verbo formam & essentiam, qua possit officium capitis exercere: Verbum autem eam omnem tribuit humanitati perfectionem & valorem, qui ad supremi capitis in Ecclesiæ dignitatem & officium est necessarius: Cum ergo quaeritur: an Christus sit Ecclesiæ caput, in quantum homo, vel in quantum Deus: cum distinctione respondendum est: nam si dictio in quantum sumatur reduplicatiue, neganda est propositio: quia denotat propriam ac per se sufficientem rationem capitis esse humanitatem: ex quo sequitur cuilibet humanitatem habenti rationem capitis conuenire: Si vero dictio illa in quantum sumatur specificatiue, vera est propositio: fit enim sensus, Christum ex humanitate ut ratione formali habere, ut sit caput Ecclesiæ, & per humanitatem officium capitis exercere: non tamen asseritur humanitatem ad hoc esse per se sufficientem. Si tamen dictio illa in quantum specificatiue sumpta denotet rationem capitis totalem, & adequatam, neganda est propositio: quia dignitas & essentialis perfectio capitis Ecclesiæ, per se ac necessario postulat diuinum suppositum humanitati coniunctum, ut scite notat Asturicensis in sua Relectione q. 6. Concl. 2. pag. 755.

Quarto sciendum est, gratiam Christi habitalem

Rationem capitis Christi ex vtraque simul natura, diuina scilicet & humana conuenire: & gratiam eius ex triplici esse capitali.

ex tribus habere, ut sit gratia capitalis. Primum est, A  
summa eius perfectio in ratione gratiæ, ex qua  
vim habet ad omnes effectus gratiæ possibiles, ut  
supra diximus cum D. Tho. Secundum est, dignitas  
eius infinita moralis in eam ex coniunctione cum  
diuina persona deriuata: ex qua vim habent ope-  
ra Christi merendi, & satisfaciendi de toto rigore  
iustitiæ pro culpa, & offensa totius humani ge-  
neris in Deum commissa. Tertium est, voluntas Chri-  
sti Domini opera tanti valoris in finem referens  
humanæ redemptionis, & salutis. Quibus addi  
potest quatuor, virtus scilicet physica instrumen-  
talis à Deo mouente in humanitate, & gratia tan-  
quam in vno totali instrumento recepta: per quā  
ex Christi gratia, & virtutibus gratia, virtutesque  
secundum mensuram à Deo prædefinitam effici-  
untur in nobis: de qua supra satis diximus. Sed ob-  
seruandum est summam gratiæ perfectionem in ra-  
tione gratiæ secundum intentionem non esse ne-  
cessariam, sed solum congruam, ut gratia Christi  
sit capitalis: quoniam, ut supra diximus, si minima  
gratia fuisset humanitati Christi collata, vim suffi-  
cientem habuisset ad omnes effectus gratiæ pro-  
ducendos ex coniunctione cum diuino supposito.

Ex his sequitur, quod licet partes omnes Christi  
corpus integrantes, & accidentia humanitatis, præ-  
sertim spiritualia, dici quadam ratione possint capi-  
talia, tanquam ad capitis integritatem vel orna-  
mentum pertinentia: speciali tamen ratione gra-  
tia Christi dicitur capitalis: quia scilicet principium  
est formale, proximum & effectiuum quo gratifi-  
candi & sanctificandi membra corporis Christi.  
hic enim effectus est gratiæ proprius, illi per se pri-  
mo conueniens: aliis vero nempe virtutibus, &  
eorum actibus non ex propriis suis rationibus,  
quæ sumuntur in ordine ad obiecta, sed ex ipsa  
gratia conuenit, quæ est communis earum radix  
ex qua pullulant, & similem contrahunt digni-  
tatem.

Christum  
sub una ra-  
tione dici  
recte posse  
membrum  
Ecclesiæ,  
sub alia ve-  
ro recte ne-  
gari, & ita  
conciliari  
diuersa di-  
cta S. Tho.  
Quinto obseruandum est quosdam ex antiquiori-  
bus Theologis existimasse Christum Dominum  
posse & debere membrum & partem Ecclesiæ nun-  
cupari: præcipui vero sunt Altiſiodorensis libro 3.  
summa tract. 1. c. 4. q. 6. Turrecremata libro 1. summa  
Ecclesiæ, & S. Tho. in Commentario Epistolæ 1. ad Cor.  
cap. 12. lectione 3. exponens illa verba: Vos estis mem-  
bra de membro: Quibus etiam verbis innititur duo  
Authores prædicti: Sed idem S. D. in 3. dist. 13. q. 2.  
4. 1. ad 6. negat Christum dici congrue posse mem-  
brum Ecclesiæ: quoniam (inquit) in nomine capitis  
importatur principium & origo alicuius rei, in nomine  
autem membri importatur partialitas: quæ repugnat ra-  
tioni primæ originis: quia in primæ origine sunt omnia  
virtute, quæ inueniuntur in originatis, & ideo non potest  
dici membrum: quia non recipit ab aliquo influentiam:  
& quia in corpore naturali caput non solum influit aliis  
membris, sed etiam ab aliis recipit, ut nutrimentum, &  
alia obsequia, ideo & caput dicitur & commembrum: Sed  
Christus secundum quod homo, non recipit aliquid ab a-  
liis membris Ecclesiæ, sed à solo Deo: unde non potest dici  
commembrum, secundum quod caput Ecclesiæ dicitur ipse  
secundum humanitatem: potest autem dici membrum se-  
cundum humanitatem, secundum quod ipse est caput Ec-  
clesiæ secundum diuinitatem: & sic dicit Apostolus 1. Cor.  
12. Vos estis corpus eius, & membra de membro. Hæc ibi  
Sanctus Doctor. Ex quibus patet doctrinam hanc  
facile posse cum alia prius allegata conciliari di-  
cendo Christum, quatenus est caput Ecclesiæ vi-  
sibile, (quod illi conuenit, ut homo est siue ut  
Deus homo) non posse dici membrum Ecclesiæ,  
sed quatenus est caput eiusdem Ecclesiæ inuisibile  
(quod illi conuenit, ut Deus est) dici posse  
membrum Ecclesiæ secundum humanitatem: in

quo sensu intelligenda sunt Apostoli verba, ut pa-  
tet etiam ex prima expositione S. D. in dicta lectio-  
ne: sed clarius, ac vberius seipsum conciliat S. D.  
in 4. distinct. 49. qu. 4. art. 3. ad 4. ubi sic loquitur:  
Nomen Ecclesiæ dupliciter accipitur: Quandoque enim  
nominat tantummodo corpus, quo Christo coniungitur  
sicut capiti, & sic tantum Ecclesiæ habet rationem spon-  
se: sic vero Christus non est Ecclesiæ membrum, sed caput  
influens omnibus Ecclesiæ membris: Alio modo accipitur  
Ecclesiæ, secundum quod nominat caput, & membra con-  
iuncta, & sic Christus dicitur membrum Ecclesiæ, inquan-  
tum habet officium distinctum ab omnibus aliis, scilicet  
influire aliis vitam: quamuis non multum proprie dica-  
tur membrum: quia membrum importat partialitatem  
quandam: in Christo autem bonum spirituale non est  
particulatum: sed est totaliter, & integrum: unde ipse est  
totum Ecclesiæ bonum, nec est aliquid maius ipse, &  
alii, quam ipse solus: sic autem loquendo de Ecclesiæ, Ec-  
clesiæ non nominat solum sponſam, sed sponſum, & spon-  
ſam, prout per coniunctionem spirituales est ex eis v-  
num effectum: Unde, licet Christus aliquo modo dica-  
tur membrum Ecclesiæ, nullo tamen modo potest dici mem-  
brum sponſæ. Hæc ibi Sanctus Doctor. Ex quibus ver-  
bis duplex colligitur modus conciliandi loca præ-  
dicta, quæ videbantur opposita. Primus est Chri-  
stum dici posse membrum non absolute, sed qua-  
tenus habet officium ab aliis distinctum, scilicet  
influire vitam: qui modus dicendi consonat ver-  
bis Apostoli: cum enim ait: Vos estis membra de  
membro, per illam particulam de significatur de-  
pendentia vitæ: quæ membris inest ex capite Chri-  
sto: cui hoc ipso nomen membri conuenit, quod  
officium habet vitam aliis influendi, quod aliis  
minime conuenit. Secundus est Christum proprie  
non posse dici membrum, sed minus proprie seu  
quasi improprie: eo quod ei deficiat altera prin-  
cipalis conditio ad rationem membri necessaria,  
scilicet partialitas, ut ibi probat S. Doctor. Et ex his  
patet primo D. Thom. in sententiis non retractas-  
se: quod dixerat in commentario: quod tamen ab-  
solute legitimo fundamento pronunciat Altiſioren-  
sis, quod etiam videtur affirmare Suarez dist. 73.  
sect. 1. §. sed hoc loco. Valsq. disput. 43. cap. 1. & Alua-  
rez in expositione presentis art. Sed obseruandum  
est Apostoli verba paulo ante relata plures alias  
habere expositiones, quas afferunt ibi Sanctus  
Thom. & recentiores loci allegati: Quos vide, si  
placet.

Sexto notandum est metaphoram capitis applica-  
tam Christo supremo totius Ecclesiæ principi non  
eas tantum habere conditiones, quas illi & natu-  
rali capiti communes tribuit in littera S. D. sed ob  
maximam sui perfectionem & excellentiam, qua  
longe superexcedit perfectionem capitis natu-  
ralis, sibi vendicat etiam ut ea quæ membra sunt  
Ecclesiæ tantum in potentia, sua superexcellenti  
virtute constituat in actu membrorum substan-  
tiali, eaque sibi coniungat in vnitatem gratiæ & cha-  
ritatis: qua veluti glutino fit vnum Ecclesiæ cor-  
pus: Quamuis enim in corpore naturali caput  
non generet, aut in esse membrorum substantiali  
non constituat, nec sibi coniungat alia membra  
quorum est caput, sed in ea iam genita & illi con-  
iuncta influit motum & sensum: in corpore ta-  
men mystico siue morali caput non solum influit  
motum in membra, sed ea constituit in esse mem-  
brorum dans illis vitam & esse, quo actu sunt mem-  
bra. Quemadmodum si Princeps Ciuitatem con-  
strueret, & in eam homines congregaret, leges  
illis imponeret, regulam ac viuendi formam eos  
edoceret, vere diceretur illius ciuitatis & sui my-  
stici corporis membra formare, & ex membris in  
potentia efficere membra in actu: Nos autem,  
qui

Conciliatio  
S. Thom.

Angularis  
excellencia  
capitis my-  
stici.

qui Christi sumus membra, Ipsius sumus factura A creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus, vt ait Apost. ad Ephes. 2.

Septimo notanda sunt diligenter ea, quæ scribit hic subtiliter Cai. circa singulas fere capitis conditiones: quas vberime declarat Medina: qui etiam optime disputat de veritate conclusionis, & explicat eleganter doctrinam huius articuli.

Postremo circa resp. ad 1. præter ea, quæ notat Cai. vide si placeat ea quæ late scripsimus in nostris Commentarijs ad primam p. q. 45. art. 4. vbi ostendimus gratiam vere ac proprie non creati, neq; concreari, sed supernaturali immutatione produci.

## ARTICVLVS II.

Vtrum Christus sit caput hominum quantum ad corpora, vel solum quantum ad animas.

**A**D secundum sic proceditur. Videtur, quod Christus non sit caput hominum, quo ad corpora. Christus enim dicitur caput Ecclesie, in quantum inluit spirituales sensus, & motus gratia in Ecclesiam. Sed huius spiritualis sensus, & motus capax non est corpus. Ergo Christus non est caput hominum secundum corpora.

Præterea: Secundum corpora communicamus cum brutis. Si ergo Christus esset caput hominum quantum ad corpora, sequeretur, quod etiam esset caput brutorum animalium: quod est inconueniens.

Præterea: Christus corpus suum ab alijs hominibus traxit: vt patet Matth. 1. & Luc. 3. Si caput est primum inter cetera membra, vt dictum est: ergo Christus non est caput Ecclesie quantum ad corpora.

**Sed contra est,** quod dicitur Philip. 3. Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratū corpori claritatis suæ.

Respondendo dicendum, quod corpus humanum habet naturalem ordinem ad animam rationalem, quæ est propria forma eius, & motor. Et in quantum quidem est forma eius, recipit ab anima vitam, & ceteras proprietates conuenientes humano corpori secundum suam speciem: in quantum vero anima est motor corporis, corpus instrumentaliter seruit animæ. Sic ergo dicendum est, quod habet vim influendi humanitas Christi, in quantum est coniuncta Dei Verbo, cui corpus vnitur per animam, vt supra dictum est. Vnde tota Christi humanitas, secundum scilicet animam, & corpus, inluit in homines, & quantum ad animam, & quantum ad corpus: sed principaliter quantum ad animam, secundario quantum ad corpus.

Vno modo, in quantum membra corporis exhibentur arma iustitiæ in anima existenti per Christum, vt Apost. dicit Rom. 6. Alio modo, in quantum vita gloriæ ab anima deriuatur ad corpus, secundum illud Rom. 8. Qui suscitauit Christum Iesum a mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum eius in vobis.

Ad primum ergo dicendum, quod sensus spiritualis gratia non peruenit quidem ad corpus primo, & principaliter, sed secundario, & instrumentaliter: vt dictum est.

Ad secundum dicendum, quod corpus animalis bruti nullam habitudinem habet ad animam rationalem: sicut habet corpus humanum. Et ideo non est simile.

Ad tertium dicendum, quod licet Christus traxerit materiam corporis ab alijs hominibus: vitam tamen immortalem corporis omnes homines trahunt ab ipso, secundum illud 1. ad Cor. 15. Sicut in Adam omnes moriuntur, & ita in Christo omnes viuificabuntur.

Sensus quæsit.

**P**ARTICULA illa: quantum ad corpora comprehendit non solum corpora aliorum hominū, sed etiam corpus Christi, vt patet ex conclusione quare respondetur quæsitio, & ex primo argumento & eius responsione, ita vt sit sensus: An Christus etiam secundum corpus sit caput aliorum hominum. in D. Thom. 3. partem.

num etiam quo ad corpora, vt etiam aduertit Caietanus.

Forma Textus.

**C**ONCL. est: Tota Christi humanitas secundum scilicet animam & corpus, inluit in homines, & quantum ad animam & quantum ad corpus, sed principaliter quantum ad animam, secundario quantum ad corpus. Vno modo, in quantum membra corporis exhibentur arma iustitiæ in anima existenti per Christum: Alio modo in quantum vita gloriæ ab anima deriuatur ad corpus. Probatur prima pars conclusionis: quia humanitas Christi vim habet influendi, in quantum est coniuncta Dei Verbo, cui corpus vnitur per animam, vt probatum est supra quæstione sexta, articulo primo.

**B** Ergo tota humanitas &c. vsque ibi Vno modo. Secunda vero pars incipiens ab illis verbis: Vno modo, probatur primo ratione: quia corpus humanum habet naturalem ordinem ad animam rationalem, quæ est propria forma eius & motor: & in quantum quidem est forma eius, recipit ab anima vitam, & ceteras proprietates conuenientes humano corpori secundum suam speciem: in quantum vero anima est motor corporis, corpus instrumentaliter seruit animæ: Ergo humanitas Christi vim habet influendi in animas, & corpora aliorum hominum dupliciter: Vno modo, in quantum membra corporis &c. Secundo probatur eadem pars duplici autoritate Apostoli, vt patet in Textu.

Expositio Textus.

**A**D VERTE primo Caietanum & alios expositores alio modo formate discursum præsentis articuli, sed nobis planior visa est ea forma, quam adhibuimus. Vide etiam quæ notat Caietanus circa vim discursus iuxta formam ab eo propositam.

Secundo sciendum est Christum secundum humanitatem dupliciter influere in animas & corpora nostra: Primo influxu morali, quatenus operibus per animam, & corpus exercitis meruit nobis apud Deum culpe & pænæ sempiternæ remissione & gloriam tam animæ quam corporis, & pro totius humani generis offensa & pœna illi debita satisfecit ex toto rigore iustitiæ, sicque nos à Diaboli potestate liberauit, & transtulit nos in regnum & gloriam Filiorum Dei. Secundo inluit Christus secundum humanitatem, vt instrumentum diuinitatis in animas, & corpora nostra influxu physico, de quo late disputandum erit infra quæst. 13. & 48. & 62. De hoc agit Aluar. disp. 38. & latissime Asturicensis quæst. 6. pag. 771. & seq.

Tertio queri posset hic, num Christus sit caput etiam rerum omnium naturalium, non solum prout fini redemptionis inferniunt, sed etiam prout considerantur in suo esse naturali. Cuius quæsitæ resolutionem lege, si vis, apud Med. in expositione huius articuli, & Suar. disp. 23. sectione 1. §. Dico tertio, & Valq. disp. 43. cap. 2. §. Ceterum nonnulli: Et Astur. in Relezione de gratia Christi q. 6. Concl. 5. p. 742.

## ARTICVLVS III.

Vtrum Christus sit caput omnium hominum.

**A**D tertium sic proceditur. Videtur, quod Christus non sit caput omnium hominum. Caput enim non habet relationem nisi ad membra sui corporis. Infideles autem nullo modo sunt membra Ecclesie, quæ est corpus Christi: vt dicitur Ephes. 1. Ergo Christus non est caput omnium hominum.

Præterea: Apostolus dicit ad Ephes. 5. quod Christus tradidit semetipsum pro Ecclesia, vt ipse exhiberet sibi gloriam.

Kk 3

riofam

riofam Ecclefiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi. Sed multi funt etiam fideles in quibus inuenitur macula, aut ruga peccati. Ergo nec etiam omnium fidelium Chriftus eft caput.

Præterea: Sacramenta veteris legis comparantur ad Chriftum, ficut umbra ad corpus: vt dicitur Colof. 2. fed partes veteris Testamenti sacramentis illis fuo tempore feruebant: fecundum illud Heb. 8. Qui exemplari, & umbra defervunt calistum. Non ergo pertinebant ad corpus Chrifti, & ita Chriftus non eft caput omnium hominum.

Sed contra eft, quod dicitur 1. Tim. 4. Eft Saluator omnium hominum, & maxime fidelium. Et 1. Ioan. 2. Ipse eft propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris tantum, fed etiam pro totius mundi. Saluare autem homines, & propitiatorum eſſe pro peccatis eorum competit Chriſto, fecundum quod eft caput. Ergo Chriftus eft caput omnium hominum.

Reſpondeo dicendum, quod hac eſt differentia inter corpus hominis naturale, & corpus Eccleſie myſticum, quod membra corporis naturalis funt omnia ſimul, membra autem corporis myſtici non funt omnia ſimul, neque quantum ad eſſe natura: quia corpus Eccleſie conſtituitur ex hominibus, qui fuerunt à principio mundi vsque ad finem ipſius. Neque etiam quantum ad eſſe gratia: quia eorum etiam, qui ſunt in vno tempore, quidam gratia carent, poſtmodum habituri, alijs eam iam habentibus. Sic igitur membra corporis myſtici accipiuntur, non ſolum ſecundum quod ſunt in actu, ſed etiam ſecundum quod ſunt in potentia. Quædam tamen ſunt in potentia, quæ nunquam reducuntur ad actum. Quædam vero ſunt, quæ quandoque reducuntur ad actum. Et hoc ſecundum triplicem gradum, quorum primus eſt per fidem, ſecundus per charitatem via, tertius per fruitionem patriæ. Sic ergo dicendum eſt, quod accipiendo generaliter ſecundum totum tempus mundi, Chriftus eſt caput omnium hominum: ſed ſecundum diuerſos gradus. primo enim, & principaliter eſt caput eorum, qui actu vniuntur ſibi per gloriam: ſecundo, eorum, qui actu vniuntur ſibi per charitatem: tertio eorum, qui actu vniuntur ſibi per fidem: quarto vero eorum, qui ſibi vniuntur ſolum in potentia nondum reducta ad actum, quæ tamen eſt ad actum reducenda ſecundum diuinam prædeſtinationem: quinto vero eorum, qui in potentia ſunt ſibi vniiri, quæ nunquam reducitur ad actum: ſicut homines in hoc mundo viuentes, qui non ſunt prædeſtinati, qui tamen ex hoc ſaculo recedentes, totaliter deſinunt eſſe membra Chrifti: quia iam nec ſunt in potentia, vt Chriſto vniantur.

Ad primum, ergo dicendum, quod illi, qui ſunt infideles, eſſi actu non ſunt de Eccleſia, ſunt tamen de Eccleſia in potentia. Quæ quidem potentia in duobus fundatur. Primo quidem, & principaliter in virtute Chrifti, quæ eſt ſufficiens ad ſalutem totius humani generis: ſecundario in arbitrij libertate.

Ad ſecundum dicendum, quod eſſe Eccleſiam glorioſam non habentem maculam, neque rugam, eſt vltimus finis, ad quem perducimur per paſſionem Chrifti. Vnde hoc erit in ſtatu patriæ, non autem in ſtatu viæ: in quo ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, noſipſos ſeducimus, vt dicitur prima Ioannis primo. Sunt tamen quædam, ſcilicet mortalia, quibus carent illi, qui ſunt membra Chrifti per actualem vniõnem charitatis. Qui vero his ſubduntur, non ſunt membra Chrifti actualiter, ſed potentialiter, niſi forte imperſecte, per fidem informem: quæ vnit Chriſto ſecundum quid, & non ſimpliciter: vt ſcilicet per Chriſtum homo conſequatur vitam gratiæ. Fides enim ſine operibus mortua eſt, vt dicitur Iac. 2. Percipiunt tamen tales à Chriſto quendam actum viſæ, qui eſt credere: ſicut ſi membrum mortificatum moueatur aliquo modo ab homine.

Ad tertium dicendum, quod ſancti Patres, non inſiſtebant ſacramentis legalibus, tanquam quibuſdam rebus, ſed, ſicut imaginibus, & vmbis futurorum. Idem autem eſt motus in imaginem, in quantum eſt imago, & in rem, vt patet per Philoſophum in li. de idem. & remi. Et ideo antiqui Patres ſeruando legalia ſacramenta, ferebantur in

Chriſtum per fidem, & dilectionem eandem, quæ & nos in ipſum ferimur. Et ita patres antiqui pertinebant ad idem corpus Eccleſie, ad quod nos pertinemus.

Sensus quaſiti.

ARTICVLVS illa omnium hominum latiffime ſumitur, prout extenditur ad præſentes, præteritos & futuros, ad fideles & infideles, ad iuſtos & peccatores, & ad prædeſtinatos ac reprobos, vt patet ex textu.

Forma Textus.

PROPOSITA vna diſtinctione cum duplici ſubdiuiſione, reſpondetur quaſito vnica Concluſione.

Diſtinctio eſt: Membra corporis myſtici ſunt duplicia: quædam enim ſunt in potentia, & quædam in actu. Prima ſubdiuiſio eſt: Membrorum, quæ ſunt in potentia, quædam nunquam reducuntur in actum, & quædam quandoque reducuntur in actum. Secunda ſubdiuiſio eſt: Membra quæ ſunt in actu, ſunt in triplici differetia vel gradu: primus eſt ſecundum actum fidei: ſecundus eſt ſecundum actum charitatis: tertius eſt ſecundum actum fruitionis patriæ. Probatu diſtinctio ex differetia inter corpus hominis naturale & myſticum: quia membra corporis naturalis ſunt omnia ſimul, membra autem corporis myſtici non ſunt omnia ſimul, neque quantum ad eſſe nature, neque quantum ad eſſe gratiæ. Ergo membra corporis myſtici accipiuntur non ſolum ſecundum quod ſunt in actu, ſed etiam ſecundum quod ſunt in potentia: Probatu antecedens quo ad vtramque differentiam, & primo quo ad illam: neque quantum ad eſſe nature: Quia corpus Eccleſie conſtituitur ex hominibus, qui fuerunt à principio mundi vsque ad finem ipſius; ergo. Secundo quo ad illam: neque quantum ad eſſe gratiæ: Quia eorum etiam qui ſunt in vno tempore, quidam gratia carent poſtmodum habituri, alijs eam iam habentibus.

Quantum ad tertium CONCLUSIO eſt: loquendo generaliter ſecundum totum tempus mundi, Chriſtus eſt caput omnium hominum: ſed ſecundum diuerſos gradus. Probatu primo in argumento ſed contra ratione fundata in duplici authoritate ſcripturæ, vt patet in Textu. Secundo probatur diſtinguendo & enumerando quinque gradus hominum, qui aliquo modo Chriſto tanquam capiti vniuntur, vt clare patet in textu.

Expoſitio Textus.

OBSERVANDI ſunt primo termini S. D. in prima ſubdiuiſione: non enim diſtinguit potentiam in eam quæ eſt reducibilis, & in eam quæ non eſt reducibilis ad actum: Quia implicatio eſt eſſe potentiam, & non eſſe ſuapte natura reducibilem ad actum: Sed potentiam diſtinguit in eam quæ quandoque reducitur: & eam quæ nunquam reducitur ad eſſe actum: contingit enim eſſe veram & realem potentiam, & tamen propter appoſitum impedimentum ad actum non reduci, vt experientia conſtat, tam in naturalibus, quam in moralibus. Vide, ſi placet, ea quæ circa litteram præſentis articuli notat Caiet.

Controuerſia Vnica.

De veritate Concluſionis, & probationis eius quo ad ſingulos hominum gradus, qui dicuntur aliquo modo Chriſti, & Eccleſie membra.

QUINQUE hominum ſtatus recenſet in hoc articulo S. Doct. iuxta quos totidem aſſerit eſſe mem-

membrorum Ecclesiæ sub vno capite Christo distinetur & sextus est eorum, qui nulla ratione sunt Ecclesiæ membra; Quia singuli fere status duos, vel etiam plures continent hominum gradus, vt hic etiam aduertit Caietanus, & singuli proprias habent difficultates, & in quibusdam Catholici Doctores ab hæreticis; in quibusdam autem ab aliis eiusdem Catholice fidei Doctores diffident, opere precium esse duximus, summatim & quæta fieri poterit breuitate, singulorum capitum difficultates, ac definitiones attingere; Proprius enim huius Controuersie locus est in 2. 2. quæst. 1. art. 10. vbi satis ample ac eruditè versat eam Bannes, & ante eum latissime Ioannes de Turrecremata lib. 1. summa de Ecclesiâ à cap. 45. vsque ad 68. & Bellarm. Tomo 1. lib. 3. de Ecclesiâ militante; Et alij recentiores in B ferius allegandi.

Est igitur prima quæstio: Num damnati dici possint a qua ratione Christi, vel Ecclesiæ membra? Cui quæstioni negatiue responder S. D. in fine corporis, rationem afferens; quia non sunt in potentia, vt Christo vniantur.

Ad cuius euidentiam notandum est primo nomine damnatorum hic non eos tantum intelligi, qui propter actualia peccata diuinæ Essentiæ visione perpetuo sunt priuati, & igni æternæ conflagrationis, vt ea sensibili pena puniuntur, additi; sed eos etiam comprehendendi, qui propter solum originale peccatum, cuius infecti macula decesserunt, à Regno Cælorum, id est diuinæ Essentiæ visione, sunt exclusi, & nulla sensibili pœna cruciantur.

Secundo notandum est, ad eos solos dominicæ redemptionis beneficia peruenire, pro quibus ipse Christus humani generis redemptor sua merita & satisfactiones obtulit Sanctissimæ Trinitati. Hæc vero Christus pro omnibus quidem hominibus obtulit, sed eis tamen communicanda per fidem & charitatem, & alia salutis remedia. His itaque tantum proderunt merita redemptoris, qui fidei, charitatis ac proinde etiam beatitudinis sunt capaces: fides enim & charitas & alia salutis remedia in beatitudinem vt eorum finem & consummationem ordinantur; constat autem damnatis in Inferno aut in Limbo puerorum neque fidem, neque charitatem inesse, nec illis posse remedia salutis applicari. Quidquid igitur beneficij diuinæ bonitatis largiente participant, id non ex Christi merito, vel satisfactione recipiunt, sed ex communi diuina prouidentia & infinita misericordia, quæ in omni opere diuinæ iustitiæ mirifice resplendet: cuius causa, qui sunt in Inferno, citra condignum puniuntur, & qui detinentur in Limbo (vt satis pie credi potest) nonnulla consolatione, ad ordinem naturalem pertinentere releuantur.

SECUNDA QUÆSTIO, de Infidelibus non baptizatis. An sint Ecclesiæ membra?

Horum duo vel tres sunt gradus; primus eorum, qui cum in potentia tantum sint membra Christi, quandoque tamen ex diuina prædestinatione Christo sunt vnienti, vt eius veluti capitis actus sint membra. Secundus gradus est eorum, qui Christo sola fide quandoque sunt vnienti: Tertius eorum, qui nulla sunt vnquam ratione Christo copulandi. Quæstio est de infidelibus secundum statum infidelitatis, secundum quem affirmat S. D. eos esse membra corporis Ecclesiæ & Christi tantum in potentia, non autem in actu. Quod etiam Apostolica docet authoritas 1. Corinth. 5. cum ait: Quid enim mihi de eis, qui foris sunt, iudicare? Nec vlla de hoc apud eum poterit esse dubitatio, qui nomen & rationem Ecclesiæ nō ignorat. Quam-

uis autem multæ sint huius vocis Ecclesiæ significationes, quas ex diuinis scripturis & Sacris Canonibus enumerat Bannes in 2. 2. quæst. 1. art. 10. §. in huius disputatione: Duobus tamen præcipue modis sumitur apud Theologos Scholasticos in disputatione de capite & membris Ecclesiæ: Primo prout extenditur ad comprehensores & viatores, & ita complectitur beatos in Cælo regnantes, & omnes eos viatores, qui habent aut habuerunt vel habituri sunt fidem Christi; quamuis in nullo cultu aut exteriori religione conueniant, adeo vt excludantur soli damnati; quia nec actu Christo sunt vniti nec potentiam habent, vt illi vnquam vniantur; licet eorum multi fidem aut etiam charitatem habuerint. Et hoc modo sumere videtur in hoc articulo S. D. Ecclesiam siue corpus Ecclesiæ mysticum, vt patet ex membrorum gradibus eidem assignatis. Alio modo strictiori significatione sumitur Ecclesiæ nomen prout est collectio Christianorum vna fide & fidei professione & eadem Sacramentorum cōmunionē coniuncta sub vno capite Christo in Cælis, & vno eius in terra Vicario summo Pontifice. Quæ definitio declarabitur infra, cum de infidelibus occultis agemus. Cum igitur ait S. D. infideles scilicet minime baptizatos, aut etiam hæreticos esse Ecclesiæ membra tantum in potentia, de Ecclesia secundum vtramque significationem intelligi congrue potest, quamuis vt ante diximus, de Ecclesia in priori sensu loqui videatur in hoc articulo S. D.

TERTIA QUÆSTIO, de Cathecumenis. An sint Ecclesiæ membra?

Cathecumeni sunt fideles nō baptizati, quos ad Ecclesiam priori modo sumptam, certum est pertinere, prout scilicet est vniuersitas ex comprehensoribus & viatoribus omnibus adunata; omnes enim Cathecumeni sub tertio continentur membrorum Ecclesiæ gradu, & ex eis qui charitatem habent ad secundum attinent gradum, & rursus omnes membra sunt in potentia Ecclesiæ posteriori modo sumptæ; sicut homo in vtero Matris conceptus, sed nondum plene formatus ac editus homo tantum est & dicitur in potentia. Quod diuina scriptura significat Act. 2. dicens: Qui ergo receperunt verbum, baptizati sunt, & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria milia. Et quia desiderium habent baptismi, quæ prima est Ecclesiæ ianua, ac proinde etiam reliqua ad salutem necessaria desiderant Sacramenta; ideo non profus extranei sunt ab Ecclesia; sed desiderio ac voto dici possunt in ea vt eius quodammodo filij & membra cōtineri; Et ideo si absque sua culpa, sine baptismo cum vera peccatorum penitentia decedant, salutem æque ac cæteri baptizati fideles consequentur. Et ex his patet, quomodo sint accipienda dicta Patrum negantium Cathecumenos esse Ecclesiæ membra; de Ecclesia namque loquuntur in posteriori sensu, cuius actualia membra negant esse Cathecumenos.

Videnda sunt, quæ de Cathecumenis doctè & eleganter scribit Bannes 2. 2. q. 1. art. 10. Dubio 1. in respons. ad argum.

QUARTA QUÆSTIO, de Hæreticis, & Apostatis à fide. An sint Ecclesiæ membra?

Alphonſus de Castro lib. 2. de iusta hæreticorum punitione cap. 24. docet manifestos hæreticos & apostatas esse Ecclesiæ membra. Cuius sententiæ falsitas satis aperte conuincitur ex allata superius Ecclesiæ diffinitione; quam explicat accurate Bannes loco supra notato. Et probatur etiam primo testimoniis diuinæ scripturæ: Nam 2. Cor. 11. dicitur: Despondi vos vno viro virginē castam exhibere Christo. Hæc autem desponsatio per fidem est, iuxta illud

*Osee 2. Desponsabo te mihi in fide*, nam etiam virginitas fidei integritatem videtur indicare: Cum igitur hæretici, de quibus loquimur, non solum fide sed etiam externa careant fidei professione, neque Christo sunt desponsati, neque ad Ecclesiam pertinent, ut eius membra. Deinde ad Titum tertio dicitur: *Hæreticum hominem, post vnam & alteram correptionem deuota*, &c. Si autem hæreticus esset Ecclesiae membrum, non esset ab Episcopo Ecclesiae Pastore vitandus, sed curandus tamquam ouis eius curæ & gubernationi commissa. Denique 1. Io. 2. dicitur: *Exierunt ex nobis, sed non erant ex nobis*: Quia scilicet per infidelitatem & externam eius professionem ab Ecclesia discesserunt & eius esse membra desierunt: qui tamen prius secundum diuinam electionem ad eam non pertinebant, ut exponit August. in lib. de bono perseverantia. Secundo probatur hæc veritas ex dictis S. Patrum; præcipui vero sunt Cyprian. lib. 1. Epistolarum Epist. 6. ad Magnū, & ad Iubaianum. Greg. 12. Moral. cap. 15. Hieron. Tomo 4. in Dialogo contra Luciferianos, & in Commentariis Isaia 7. & Osee 1. ubi eos distinguit contra Ecclesiam. August. Tomo 1. lib. de vera religione, cap. 5. & de fide ad Petrum, cap. 38. & 39. Tomo 3. & in ps. 130. exponens illud, sicut ablatus est super Matre sua: & alibi sepe. Irenæus lib. 3. cap. 3. dicit Polycarpum multos hæreticos ad Ecclesiam conuertisse; prius igitur Ecclesiae membra non erant. Denique Tertul. in lib. de præscriptione dicit Marcionem, cum ad Ecclesiam redire vellet, conditionem accepisse ut ceteros quos peruerterat, in Ecclesiam restitueret; igitur de Ecclesia non erant Marcion & qui fuerant ab eo peruersi. Tertio probatur idem ratione: Quia vnio cum Christo & eius Ecclesia fit per fidem ac fidei professionem, & per earundem legum ac rituum obseruantiam, & perficitur per charitatem: at nihil horum habet hæreticus manifestus: ergo. Minor est euident. Maior patet ex dictis: Et probatur etiam. Quoniam Ecclesia est supernaturalis quædam respublica; ergo per aliquid supernaturale debet constitui: At primum supernaturale est fides, quæ fundamentum est esse supernaturalis; iuxta illud ad Colos. 1. Si tamen permaneris in fide fundati stabiles, & immobili: à spe tuangelij, quod audisti. Et ad Heb. 11. Fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium. Videnda sunt quæ scribit Caiet. Tomo primo opuscul. Tract. 1. de auct. Papa. & Conc. cap. 22. quæ efficaciter confutat Bellarminum lib. 2. de Rom. Pont. cap. 30.

QVINTA QVÆSTIO, de Schismaticis. An sint Ecclesia membra?

De Schismate & Schismatico quo ad nomen etymologiam & eorum significationem differit S. D. in 2. 2. quæst. 39. art. 1 & ibi subtiliter ac erudite Caiet. & post eum alij recentiores. Sed omnia ad horum nominum rationes pertinentia collegit diligenter ex SS. Patribus & Sacris Canonibus Ioann. de Turrecremata in sua summa de Ecclesia libro 4. à cap. 1. vsque ad 5. Vt autem ait loco proxime notato S. D. Schismatici dicuntur, qui subesse renuunt Summo Pontifici, & qui membris Ecclesiae subiectis communicare recusant: Cui definitioni, si definitionem apponamus Ecclesiae stricte sumptæ supra notatam, perspicue cognoscemus haud esse Schismaticos Ecclesiae membra; cuius oppositum contra S. Patrum & Summorum Pontificum decreta docet Alph. de Castro loco superius allegato. Est igitur huius Conclusionis optima probatio: Quoniam Ecclesia duplicem rationem sibi vendicat vnitatis: Altera est connexio seu communicatio membrorum eius adinuicem: Altera est connexio seu ordo omnium membrorum ipsius Ecclesiae ad vnum caput, siue cum vno capite, ut ait

A S. D. loco allegato; quod autoritate confirmat Apostoli ad Colos. secundo dicentis. Inflatus sensu carnis suæ, & non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus, & coniunctiones subministratum, & constructum crescit in augmentum Dei. Hoc autem caput (ait ibi S. D.) est ipse Christus: cuius vicē in Ecclesia gerit Summus Pontifex. Cum itaque Schismaticus hanc à se tollat vnitatem ab vtraque prædicta se connexione seu communicatione separando, consequens est, ut hoc ipso semetipsum etiam ita separet ab Ecclesia, ut nulla ratione possit inter eius membra numerari. Quia ratione sapius vtiuntur Patres & summi Pontifices, ut ostendant Schismaticos ad Ecclesiam ut eius membra minime pertinere. Et primo Cyprian. in Epistola ad Magnum ita dicitur: Dominus insinuans nobis vnitatem de diuina autoritate venientem ponit, & dicit: Et erit grex vnus, & vnus Pastor: Si autem grex vnus est, quomodo potest gregi annumerari, qui in numero gregis non est? Et in Epistola ad Florentium eodem vtiens argumento ait: Dominus in Euangelio, cum loquentem discipuli dereliquerent, conuersus ad duodecim dixit: Numquid & vos vultis ire? Respondit ei Petrus dicens: Domine ad quem ibimus? verba vite æterna habes, & nos credimus, & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei viui: loquitur illis Petrus, super quem edificata fuerat Ecclesia, Ecclesia nomine docens & stendens, quia, & si contumax, at superba obedire nolentium multitudo discedat, Ecclesia tamen à Christo non recedit, & illi sunt Ecclesia plebs sacerdoti adunata, & Pastori suo grex adherens: Vnde scire debes Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo; & qui cum Episcopo non est, in Ecclesia non est; Quod etiam attigit Augustinus, cuius verba refert Pelagius in cap. videntia 24. q. 1. hæc vero sunt. Si nullo modo potest dici Ecclesia, ubi Schisma est, restat, ut quoniam Ecclesia nulla esse non potest, ea sit, quam in Sedis Apostolica per successiones Episcoporum radice constitutam hominum nullorum malitia villo modo valeat extinguere. Ad quorum verborum intelligentiam, quia profunda valde sunt, sciendum est discursum hunc Augustini & Pelagij in duobus fundari: alterum est vnitas Ecclesiae; dicitur enim in diuinis litteris, Vnum ouile, Ioannis 10. vnum corpus Roman. 12. Vna sponsa, vna amica, vna columba, Cantic. 6. Alterum est modus scissionis in schismate; non enim per Schisma, de quo loquimur, scissura fit in Ecclesia eo modo, quo pannus scinditur in partes; in hac enim scissione quælibet pars panni remanet pannus; vel etiam eo modo, quo scinditur vestis; in qua scissura quælibet pars ab alia diuisa dicitur æque pars scissæ vestis; sed eo modo per Schisma scissio fit, quo scinditur ramus ab arbore; vel magis eo modo, quo digitus aut manus separatur ab homine; quæ statim moritur homine vitam retinente; vel sicut diuiditur riuus à fonte, & riuus à Sole; arefcit enim riuus fonte perenniter fluente, & deficit riuus Solis luce perseverante. Sic itaque Schismatici ab Ecclesiae corpore separantur, ut nec altera vera ex iis abscissis resulter Ecclesia, neque eius, quæ vna tantum est, Ecclesia Catholica, partes existant, sed confestim arefcant & partes mystici corporis esse definant, & à Christi capitis subtrahantur influxu. Denique doctrinam hanc tradidit Ecclesia in Catechismo Rom. in expositione Symboli.

Qui plures huius veritatis desiderat probationes, legat Turrecrematam loco supranotato, & Bellarm. Tomo 1. Controu. 4. lib. 3. cap. 5.

SEXTA QVÆSTIO, De excommunicatis. An sint Ecclesia membra?

Excommunicatos fideles esse vere & proprie Ecclesiae membra docet Bannes in 2. 2. quæst. 1. art. 10. dubio primo, in responsione ad octauum suum argumentum:

mentum: Sed hæc opinio, si de Ecclesia stricte sumpta, vt modo loquimur, sermo sit, absolute falsa est, & opposita sententia est Ecclesiæ doctrina in Catechismo Rom. in expositione Symboli circa illa verba: *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam*, quæ est antiqua Patrum doctrina magnum habens in diuina scriptura fundamentum: Nam *Matth. 18.* dicitur: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Felonicus, & publicanus.* Sed ait Bannes particulam illam *sit tibi* non significare rei veritatem, quod sit separatus ab Ecclesia vt Ethnicus, sed denotare æstimationem, quod scilicet debeat tractari, æstimari & haberi vt Ethnicus: Est enim (inquit) consuetum in sacris litteris, vt verbū est significet idem, quod haberi & æstimari, quale est illud *Gen. 42.* *Per salutem Pharaonis exploratores estis vos*, id est vt tales habebimini & tractabimini: Et illud *3. Regum 18.* *Qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus*, id est, habeatur & colatur vt Deus: Habentur autem & tractantur vt Ethnici in hoc, quod priuati sunt consortio ceterorum fidelium & sacrificiis orationibusque communibus Ecclesiæ. Sed hanc interpretationem esse falsam probatur primo ex diffinitione Ecclesiæ stricte sumptæ, quæ dicitur Ecclesiam esse collectionem hominum, qui sint vna fidei professione, & eadem Sacramentorum communione coniuncti sub vno capite, &c. Cum igitur excommunicati eandem cum ceteris fidelibus non habeant Sacramentorum, neque orationum communium Ecclesiæ communionem, neque ceterorum fidelium, qui sunt Ecclesiæ membra, confortium, sed his omnibus sint priuati, sequitur eos nulla ratione dici posse Christianæ Ecclesiæ membra, sed esse prorsus ab ea præcisos. Secundo probatur: Quia Chrysost. & Theoph. exponentes prædicta Domini verba dicunt per illa eiectionem ab Ecclesia significari. Et in Decreto *causa 11. quæst. 11. can.* Omnis refertur hoc August. dictum: *Omnis, qui a Sacerdotibus excommunicatur, Sathana traditur: Quomodo? quia scilicet extra Ecclesiam Diabolus est, sicut in Ecclesia Christus.* Alias probationes lege, si placet, apud Bellarm. in alleg. lib. 3. c. 6.

SEPTIMA QUÆSTIO, De peccatoribus. An sint Ecclesiæ membra?

De proposita difficultate differunt vberime Turcremata lib. 1. Summa de Ecclesia. capit. 56. 57. 58. & 59. Medina super hoc ar. Bannes 2. 2. q. 1. art. 10. Dubio 1. in respons. ad 10. argumentum. & Bellarm. loco supra notato cap. 8. & 9. Veritas catholica est, peccatores omnes quantumvis magnos, fidem & communionem Ecclesiæ Catholicæ retinentes esse proprie & simpliciter eius membra; quāuis ij, qui gratiam & charitatem non habent, non sint viuæ sed mortuæ Ecclesiæ membra. Prima huius dicti pars est D. Thom. in hoc articulo; vbi in tertio gradu, constituit peccatores per fidem absque charitate Christo Ecclesiæ capiti coniunctos. Et probatur primo ex parabolis Saluatoris; prima est *Matthæi 13.* vbi Regnum Cælorum, id est Ecclesiam militantem Sagenæ comparat dicens: *Simile est regnum cælorum Sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti.* Secunda est *Matthæi 25.* vbi Regnum Cælorum simile dicitur decem virginibus; ex quibus quinque erant fatuæ, & quinque prudentes: Tertia est Apostoli 2. ad Timotheum 2. vbi Ecclesiam magnæ domui comparans ait: *In magna autem domo non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia, & quadam quidem in honorem, quadam autem in contumeliam.* Secundo probatur eadem pars: Quia Petrus post trinam negationem adhuc erat membrum Ecclesiæ, & Iudas proditor Christi fuit Apostolus, donec in vita permansit; ac proinde membrum erat Ec-

clesiæ; vt enim dicitur *Actuum primo* per mortem eius vacauit Episcopatus illius, quem Deus per sortem transtulit in Matthiam. His adde Corinthium abutentem nouerca, & Alexandrum ac Himenæum blasphemantes; quos Apostolus ab Ecclesiæ corpore per excommunicationem velut arida, vel putrida membra præcidit: Membra autem aridum & putrescens antequam à corpore separaretur, eadem perficitur anima, quæ cæteræ partes, licet imperfectas dumtaxat habere valeat operationes; membrum enim mortificatum mouetur aliquantulum ab homine, vt ait hic S. D. ad 2. Sunt igitur peccatores prædicti simpliciter & absolute membra Christi, licet imperfecte; quia Christo capiti non per charitatem, sed per solam fidem informem sunt vniti. Denique probatur hæc pars; Quia, si soli gratiam & charitatem habentes essent Ecclesiæ membra, non esset Ecclesiæ necessarium Sacramentum penitentiae; quod solis illis impenditur, qui sunt in Ecclesia. Deinde, quemadmodum nullus certo scire potest se, aut alium ex Christianis Dei gratiam & charitatem habere, ita neque certo scire posset, quinam essent Ecclesiæ membra; atque ideo incertum esset, quinam essent Prælati, quibus obediendum esset; quinam subditi regēdi & corripiendi; quinam statim, vt Prælati in aliquod mortale crimen incidisset, puta contumeliæ, detractionis, &c. prælationem statim amitteret, & subditi iuste obedientiam illi denegarent, & Prælati subditum peccatorem, vt suæ curæ minime subiectum dereliqueret: quia nulla maior potest esse confusio & perturbatio. Et ex iis patet altera pars propositæ Conclusionis seu dicti, videlicet fideles gratia Dei destitutos non esse viuæ sed mortuæ Christi & Ecclesiæ membra; quod expresse Sacra Synodus Trid. sess. 6. cap. 7. definiuit his verbis: *Homo in iustificatione sua accipit per Iesum Christum, cuius inseritur, fidem, spem, & charitatem; nam si nec spes accedat, & charitas, neque perfecte vniti Christo, neque corporis eius membrum viuum efficit.* Alias huius veritatis probationes lege, si placet, apud supranominatos authores.

OCTAUA QUÆSTIO, de Infidelibus occultis.

An sint Ecclesiæ membra?

Quæstio hæc haud facile solui potest propter absurda, quæ ex vtraque sententia scilicet affirmative aut negante consequuntur; nec recentiores, qui priorem tuerentur opinionem, argumentis aduersus eam productis plene satisfaciunt. Cuius defectus potissima radix est; quia diffinitionem Ecclesiæ minime completam, aut non satis congruam assignarunt dicentes, Ecclesiam esse cœtum hominum eiusdem Christianæ fidei professione, & eorundem Sacramentorum communione colligatum sub regimine legitimo Pastorum, ac præcipue vnus Christi in terris Vicarij qui est Rom. Pontifex. In hac enim diffinitione nihil de fide interna meminerunt, quæ tamen Ecclesiæ secundum se, licet non quo ad eius singula membra, est omnino necessaria, vt vere proprie & simpliciter Ecclesia sit & dici valeat iuxta illud *Matth. 10.* *super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non preualebunt aduersus eam.* Quæ verba exponens Glossa interlinearis ait: *Non separabunt eam à charitate mea, & fide;* Et Hieronymus ait portas Inferi hæreticorum esse doctrinas, per quas homines ducuntur ad Tartarum: Et Cyrillus in lib. *Theauri* verba hæc de Rom. Ecclesia Principe omnium Ecclesiarum interpretans ait: *Secundum hanc Domini promissionem Ecclesia Apostolica Petri ab omni seductione, hæreticaq; seductione manet immaculata, super omnes præpositos, & Episc. & super omnes*

Prima.

Primates Ecclesiarum, & populorum in suis Pontificibus A  
in fide plenissima, & autoritate Petri, & cum alia Eccle-  
sia quorundam errore sint verecundate stabilita in qua-  
sabiliter ipsa sola regnat. silentium imponens, & omnium  
obscurens ora Hereticorum, &c. Igitur Ecclesia Chri-  
sti eam veluti sibi propriam vendicat in fide soli-  
ditatem, ut ab ea deficere nequaquam possit; alio-  
quin si sola maneret externa fidei professio absq;  
interna fide, iam portæ inferi prævalerent aduer-  
sus eam.

Sed observandum est diligenter Dominicam  
illam promissionem: *Et portæ inferi non prævalent  
adversus eam*, scilicet Ecclesiam, intelligenda esse  
de Ecclesia formaliter, ut Ecclesia est, non solum  
secundum ipsam totam vniuersalem Ecclesiam,  
sed quadam etiā ratione secundum singulas par-  
ticulares Ecclesias, quæ sunt vniuersalis Ecclesiæ  
partes, quatenus Ecclesiæ Christi sunt: quia scili-  
cet assistit earum unicuique prouidentia sua ca-  
uens, ut in nulla earum sit sola fidei externa pro-  
fessio, & Sacramentorum ac rituum Christianæ  
religionis exercitium & nudum nomen Ecclesiæ  
Catholicæ absque interna fide in tot saltem ho-  
minibus, quot Ecclesiæ Catholicæ constituendæ  
sunt necessarij: sic enim portæ inferi valde præ-  
valerent aduersus Ecclesiam, ut Ecclesia est; quia  
falsam ac nullam Ecclesiam, siue magis heretico-  
rum, & aliorum infidelium, ac hypocritarum Ec-  
clesia multi simplices colerent; & dum viam salutis in-  
quirent, facile possent hereticorum doctrina  
secreto corrumpi, & tandem etiam publica præ-  
dicatione seduci; ac proinde apud omnes fere cõ-  
terarum Ecclesiarum, immo & totius Ecclesiæ  
Catholicæ periclitaretur existimatio, quia de sin-  
gulis saltem particularibus Ecclesiis facile dubi-  
tarent, ne forte sit vna qualibet earum heretico-  
rum & hypocritarum cæcus, qui non re sed solo  
nomine sit Ecclesia, quæ tandem in apertam hæ-  
reticæ doctrinæ prædicationem erumpat; & de  
Romana & vniuersali etiam Ecclesia similis pos-  
set oriri dubitatio, quod in maximum vergeret  
salutis humanæ detrimentum. Nec obstat, sed ma-  
gis proposito fauet, q̃ dixit Dominus Luca 18. vi-  
delicet: *Filius hominis veniens putas inueniet fidem in  
terra?* Nam ut exponit Augustinus de Verbis Domi-  
ni, serm. 360. dixit hoc Dominus de fide, quæ per-  
fecta est, ipsa enim (inquit) vix inuenitur in terra,  
& subdit: *Ecclesia plena est Ecclesia Dei. Quis huc accederet,  
si nulla esset fides? Quis non montes transferret si plena es-  
set fides?* & Beda, cap. 7. in Lucam sic loquitur. *Quod  
autem hic quasi dubitative dicit, non dubitat, sed arguit:  
Nam & nos aliquando de rebus, quas certas habemus, in-  
terpretative verbum dubitationis ponimus, ut si dicas seruo:  
Considera, forsitan Dominus tuus sum. Sicut igitur ex-  
terna fidei professione, sic & interna fide consti-  
tuitur Ecclesia Christi, quamvis non eadem ratio-  
ne: Nam externa fidei professio non solum in Ec-  
clesia secundum se, sed etiam quo ad singulos fi-  
deles in ea contentos est necessaria; at interna fi-  
des in ipsa quidem Ecclesia secundum se necessa-  
ria est, ita ut tot sint in ea fidem habentes, ut vere  
ac simpliciter dici possit Ecclesiam Christi fidem  
habere; non tamen postulat Ecclesiæ ratio, ut o-  
mnes quotquot Ecclesiæ membra sunt, fidem ha-  
beant formatam aut informem. Sed, quemad-  
modum ex partibus humani corporis quædam  
sunt, quæ viuunt & sentiunt, quædam quæ viuunt,  
& non sentiunt, & quædam quæ nec viuunt, nec  
sentiunt, ut ungues & capilli (secundum aliquos)  
Sic in Ecclesia quidam sunt qui fidem habent &  
charitatem, quidam sine charitate fidem habent,  
quidā solam habent externam fidei professionē.*

Uti igitur omnia, quæ ad Ecclesiæ rationem per-  
tinent, complectamur, dicendum est, Ecclesiam esse  
se collectionem Christianorum vna fide, & fidei professio-  
ne, ac eadem Sacramentorum communione coniunctam  
sub vno capite Christo in Cælis, & vno eius in terra Vica-  
rio Summo Pontifice. Dicitur collectio Christianorum,  
id est baptizatorum ad distinctionem Synagoga,  
& alienus cuiusvis congregationis baptismi Sa-  
cramento carentis, aut etiam aliam aliquam reli-  
gionem, sine baptismo profiteatis; Dicitur vna  
Christiana fide, & fidei professione, &c. colligata modo  
superius expofito; quia scilicet necesse est tot esse  
in Ecclesia fidem habentes, ut propter eos affir-  
mari possit Ecclesiam fidem habere; & præterea  
oportet eos, ac ceteros omnes externis actibus,  
ac ritibus fidem profiteri: adeo ut, cum dicitur  
Christiana fide, & fidei professione colligata, dictio illa,  
& copulatiue quidem, sed accommode intelliga-  
tur, & ita dictio illa, fide excluditur à vero Ec-  
clesiæ nomine & ratione omnis ea hominum cõ-  
gregatio, in qua nullus est omnino fidem habēs,  
etiam si non sit vniuersalis eorum omnium col-  
lectio, qui Christi fidem Catholicam profitentur,  
sed sit congregatio, siue populus aliquis particu-  
laris puta Mediolanensis aut Cremonensis; Quā-  
quam enim nulla sit contradictio, ac proinde lo-  
gice loquendo possibile sit Ecclesiam Mediola-  
nensem nullum hominem habere vere fidelem;  
Moraliter tamen, & secundum supernaturalem  
Dei prouidentiam, qua non solum vniuersalem  
regit Ecclesiam toto orbe diffusam, sed etiam sin-  
gularem ad singulos Episcopos pertinētium Ec-  
clesiarum curam gerit, existimo fieri nequaquam  
posse, ut omnes sub vnius Ecclesiæ nomine com-  
prehensi, & vnius Episcopi curæ commissi fide  
careant cum Episcopo, & tamen eam extrinsece  
profiteantur, & eisdem communicent ritibus &  
Sacramentis. Quare multo minus admittendum  
puto totum vniuersale concilium Ecclesiæ Chri-  
sti Catholicæ ex trecentis aut quadringentis viris  
compositum fide prorsus interna posse carere, eo  
quod non aliquam particularem, sed ipsam vni-  
uersalem repræsentat Ecclesiam; & licet concilium  
sine Summo Pontifice decipi possit & errare,  
ut patet in concilio Arimin. ubi dolo Arriano-  
rum, qui Catholicos deceperunt, damnatum est  
nomen Omousios dictum de Filio; fide tamen  
interna destitui nequaquam potest ob dictam  
Domini promissionem Petro & Ecclesiæ factam.  
Per illam autem particulam: *Et vna fidei professione,  
ac eadem Sacramentorum communione coniuncta ex-  
cluduntur heretici manifesti, cathecumeni & ex-  
communicati. Per vltimam autem excluduntur  
Schismatici.*

Ex dictis sequitur primo fieri non posse moraliter  
loquendo & secundum Dei legem & prouiden-  
tiam ordinariam, ut omnes homines alicuius v-  
nius Diocesis cum Episcopo sint infideles, & ta-  
men externis actibus & ritibus fidem Christi Ca-  
tholicam profiteantur.

Secundo sequitur Ecclesiam omnem, quæ vere sit  
Ecclesia Christi, esse visibilem; quamvis ut vere  
sit Ecclesia, sit illi fides interna in aliquibus eius  
membris necessaria; quia fieri non potest, ut ante  
diximus, ut omnes homines alicuius Ecclesiæ fi-  
dem externis actibus & ritibus profiteantur, &  
nullus aut vnus vel alter tantum in ea sit vere fi-  
delis. Igitur ipsa communis & concors fidei pro-  
fessio & rituum ac Sacramentorum communio  
internæ fidei signum est infallibile Christi veram  
& proprie dictam Ecclesiam indicans, & eam o-  
culis intuentium visibilem offerens.

Tertio sequitur Iudæos, Turcas & Paganos &  
alios

alios minime baptizatos, si Christianæ Ecclesiæ se commisceant, fidem Catholicam verbis, ritibus & omnibus Sacramentis; excepto vno baptismo te profiteantur, partes aut membra Ecclesiæ Christi non esse; Quia primus in Ecclesiam ingressus visibilis est per Sacramentum baptismi, quod omnium est ianua Sacramentorum, ac rituum Christianæ religionis; Igitur qui nondum insignitus est visibili baptismi Sacramento (visibili inquam in ipsa susceptione) non potest esse visibilis Ecclesiæ membrum. Sed tales Christiano populo miscentur, sicut populo Romano in foro congregato miscentur extranei ad eius integritatem minime pertinentes; cuius tamen oppositum asserit Bellarm. in allegato lib. 3. de Ecclesiâ militante, cap. 10. ubi etiam admittit fieri posse, ut omnes in Concilio generali congregati vera fide careant, & omnes alicuius Ecclesiæ particularis personæ sint infideles, & tamen illa proprie ac vere sit Ecclesiâ. Quæ nulla ratione videntur admittenda. Postremo sequitur diffinitiones omnes S. Patrum & Summorum Pontificum, quas referunt Authores supra notati, veras esse, ac præsertim illam, quæ asserit Ecclesiam esse congregationem fidelium; quia videlicet necesse est in qualibet Ecclesiâ, si non omnes, aliquos tamen, tot scilicet, quot Ecclesiæ constituendæ sufficiant, esse fideles.

Bellarmin.  
dictum re-  
solvitur.

Conclusio-  
nes dedu-  
ctæ, & pro-  
bata.

PRIMA CONCL. Dammati nullo modo sunt membra Christi aut Ecclesiæ: Hæc patet ex textu, & ex quæstionculla prima.

SECUNDA CONCL. Infideles non baptizati non sunt actu membra Christi, aut Ecclesiæ vitæ modo sumpta, sed tantum in potentia. Hæc est S. Doctoris in textu, & patet ex quæstionculla 2. & ex vltima.

TERTIA CONCL. Cathecumeni sunt actu membra Christi, & Ecclesiæ priori modo, id est late sumpta, non autem posteriori modo, id est stricte sumpta. Hæc conclusio quoad priorem partem patet ex textu; quo ad alteram vero partem patet ex tertia, & ex vltima g. huius Controuersia.

QUARTA CONCL. Hæretici, & Apostata à fide manifesti non sunt actu Ecclesiæ membra, sed in potentia tantum. Hæc patet ex quarta quæstionc.

QUINTA CONCL. Schismatici non sunt actu, sed in potentia tantum Ecclesiæ membra. Hæc patet ex quæstionculla.

SEXTA CONCL. Fideles excommunicati notorii, aut denunciati non sunt actu membra Ecclesiæ stricte sumpta, quamvis sint actu membra Ecclesiæ late sumpta. Hæc quo ad posteriorem partem patet ex textu; quo ad alteram vero partem ex quæstionc. 6.

SEPTIMA CONCL. Peccatores fideles, quantumvis magni, sunt actu Christi, & Ecclesiæ membra. Hæc patet ex q. 7.

OCTAVA CONCL. Suppositi in Ecclesiâ tot fidelibus, qui ad constituendam Ecclesiam sunt necessarij, si eis adiungantur alij homines baptizati, qui sint infideles occulti, illi sunt, siue magis præsumi debent esse actu Ecclesiæ membra. Hæc conclusio patet ex vltima quæstionculla, & probant eam argumenta Bellarm. in allegato cap. 10.

NONA CONCL. Si vel nulli, vel non tot sint in aliquo catu, vel diocesi fideles, quot Ecclesiâ constituende sunt necessarij, infideles in eo catu, vel diocesi existentes nullo modo sunt Ecclesiæ membra. Probatur: quia cætus ille non est Ecclesiâ. Igitur nullus infidelis in eo existens membrum est Ecclesiæ. Antecedens probatum est supra quæstionculla 8.

DECIMA CONCL. Infideles minime baptizati, si fidelium catui, & Ecclesiâ miscantur, & fidem externis actibus & ritibus profiteantur, non ideo tamen sunt, aut sunt Ecclesiæ membra. Hæc patet ex eadem vltima quæstionculla.

A CONTRA primam conclus. militare possent ea argumenta, quæ produci solent ad probandum in Dæmonibus & damnatis esse fidem; quorum solutiones lege, si vis apud Bann. & alios expostores in 2. 2. q. 5. art. 2.

Argumenta  
ta, & solu-  
tiones.

CONTRA tertiam conclus. est argumentum, quod affert & soluit Bannes loco notato, & est textum in ordine; & alia duo, quæ tangit & soluit Bellarm. in allegato cap. 3. Eorum tamen solutio patet ex dictis.

CONTRA quartam conclus. sunt argumenta, quæ tangit Bannes in suo argumento 5. in dicto art. 10. dubio 1. & ea quæ refert & soluit Bellarm. loco sapenotato, cap. 4.

CONTRA quintam conclus. est septimum argumentum apud Bann. loco allegato, quod ibi soluitur. Sunt etiam argumenta, quæ refert & soluit Bellarm. in dicto 3. lib. 6. 5.

CONTRA sextam conclus. sunt argumenta, quæ refert & soluit Bellarm. in eodem libro, c. 6.

CONTRA septimam conclus. sunt multa argumenta, quæ referunt & soluunt Turrecremata in summa de Ecclesiâ lib. 1. art. 54. vsque ad 60 Medina super hoc art. Bannes loco notato Bellarm. in allegato libro, c. 7. 8. & 9.

CONTRA nonam conclus. argumentatur Bellarm. & primo probat hæreticos occultos esse Ecclesiæ membra ex illo prima Ioa. 2. Et nunc Antichristi multi facti sunt, ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis; nam, si fuissent ex nobis, mansissent vtrique nobiscum. Quibus verbis significat Ioannes hæreticos, antequam exirent, non fuisse ex nobis, id est non fuisse catholicos animo & voluntate, sed hæreticos, & tamen ex nobis exiisse; quia & si non erant ex nobis animo & voluntate, erant tamen ex nobis externa professione; sed postquam se prodiderunt & se ipsos à nostro catu separarunt, iam deserunt omnibus modis esse ex nobis. His addit plura loca August. Cyr. Ambr. Hieron. Greg. & Orig. affirmantium hæreticos occultos esse partes & membra Ecclesiæ, cui commiscantur. Resp. locum illum diuinæ scripturæ & dicta Patrum probare octauam nostram conclusionem, & aduersus hanc, quæ nona est, non militare. Manifeste namque supponunt Ecclesiam multos habere fideles, quibus pauci vel multi commixti sint infideles occulti, & hos affirmant ad Ecclesiam, ut eius partes & membra pertinere, donec se ipsos prodant & exeant.

Obi. cont.  
concl.

Solut.

Secundo probat nonnullis argumentis non esse necessariam fidem in quolibet Ecclesiæ membro siue parte, quod libenter admittimus: Hæc enim est octaua nostra conclusio.

Obi. 2.

CONTRA vltimam conclus. argumentatur Bellarm. cap. 10. probans baptismum non esse necessarium, ut quis sit Ecclesiæ pars aut membrum. Primo; quia si quis dicat se esse baptizatum, & non constet contrarium admittetur ad cetera Sacramenta, & per hoc erit de corpore Ecclesiæ ergo. Probatur vltima pars antecedentis à signo; quia si postea innotescat illum non fuisse baptizatum, siquidem culpa ipsius id sit factum, expelletur de congregatione nec recipietur, nisi post poenitentiam baptizetur; at si non culpa eius id factum sit, non repellatur, sed perficietur in eo quod deerat; nec indicabitur non fuisse in Ecclesiâ, sed indicabitur intrasse aliunde, quam per ordinariam potestatem; ergo. Probatur hæc pars: quia Innocentius III. capit. Apostolicam de Presbytero non baptizato iudicauit presbyterum non baptizatum vere fuisse in Ecclesiâ, & iussit pro eius anima offerri sacrificium, ut pro alijs fidelibus; & Dionysius Alex. ut habetur lib. 7. cap. 8. histor. Ecclesiast. iudica-

Obi. cont.  
vlt. concl.

Solut.

iudicauit quendam fuisse vere in Ecclesia, quem A constabat non vere baptizatum, sed tantum percepisse alia Sacramenta, vt baptizatum, sed Resp. talem admitti ad Sacramenta, nec tamen per hoc esse de corpore Ecclesie, cum vere non sit baptizatus. Ad probationem negatur consequentia: Nam si culpa sua non baptizatus recipiat Sacramenta, expelletur quidem à fidelium consortio, vt qui de Ecclesia nunquā fuerit; non autem præscindetur, vt membrum à corpore, cuius fuerit pars, si vero id fuerit absque eius culpa recipietur in Ecclesiam medio baptismi Sacramento; cū eius antea membrum non esset. Ad probationem vltimæ partis antecedentis dico textum & historiam male allegari: In illo namque capite non affirmat Summus Pontifex presbyterū illum fuisse membrum Ecclesie siue de Ecclesia, sed eum fidem habuisse, & ex voto baptismi fuisse ab originali peccato mundatum, ideo iubet pro eius anima sacrificium offerri. Dionysius etiam Alexandrinus non affirmat illum non baptizatum vere fuisse de Ecclesia, cum illi non plene constaret de validitate, aut invaliditate baptismi, quem virile ab hæreticis susceperat; sed, cum non auderet illum iterum baptizare, adhortabatur eum, vt alia cum fidelibus Sacramenta susceperet.

Quæstio ab  
Aluarecio  
definita.

QVÆRIT hic Aluar. disput. 38. Num Christus quatenus homo & caput Ecclesie influat per humanitatem efficienter, seu ad modum cause physice gratiam in omnes homines pertinentes ad corpus Ecclesie mysticum; an solum moraliter, seu meritorie: Quam questionem subtiliter versat ac erudite definit, nos de ea loco fortasse magis opportuno, Deo largiente, disceremus.

## ARTICVLVS IV.

Virum Christus sit caput Angelorum.

1. d. 13. qu. 2.  
art. 2. q. 1. &  
d. 14. art. 3.  
q. 2. & 6. c.  
C. veri. q.  
19. d. 4. c. &  
5. & epist. Nunquam Ang-los apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Ergo Christus, secundum quod homo non est caput  
Et 1. Cor.  
11. col. 2. &  
Ephes. 1. in  
fin.

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod Christus, secundum quod homo, non sit caput Angelorum. Cad. 14. art. 3. put enim, & membra sunt vnius nature. Sed Christus, secundum quod est homo, non est conformis in natura cum Angelis, sed solum cum hominibus: quia vt dicitur Heb. 2. 5. & epist. Nunquam Ang-los apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Ergo Christus, secundum quod homo non est caput Angelorum.

Præterea: Illorum Christus est caput, qui pertinent ad Ecclesiam, quæ est corpus eius vt dicitur Ephes. 1. Sed Angeli non pertinent ad Ecclesiam: nam Ecclesia est congregatio fidelium: fides autem non est in Angelis: non enim ambulant per fidem, sed per speciem: alioquin peregrinarentur à Domino: secundum quod apost. argumentatur 2. Corin. 13. 5. Ergo Christus, secundum quod homo, non est caput Angelorum.

Tracl. 23. Præterea: August. dicit super Ioan. quod sicut Verbum, & 19. 10. 9. quod erat in principio apud Patrem, viuificat animas: ita Verbum caro factum viuificat corpora, quibus Angeli carent. Sed Verbum caro factum est Christus, secundum quod homo: Ergo Christus secundum quod homo, non influit vitam Angelis. Et ita secundum quod homo non est caput Angelorum.

Sed contra est, quod Apostolus dicit Col. 2. Qui est caput omnis principatus, & potestatis. Et eadem ratio est de Angelis aliorum ordinum. Ergo est Christus caput Angelorum.

Art. 1 ad 2. Respondeo dicendum, quod sicut dictum est, vbi est vñ corpus, necesse est ponere vñ caput. Vñ autem corpus similitudinariè dicitur vñ multitudo ordinata in vñ finem secundum distinctos actus siue officia. Manifestum est autem, quod ad vñ finem, qui est gloria diuina fruitionis, ordinantur, & homines, & Angeli. Vnde corpus Ecclesie mysticum, non solum consistit ex hominibus, sed etiam ex

Angelis. Totius autem huius multitudinis Christus, est caput: quia propinquius se habet ad Deum, & perfectius participat dona ipsius, non solum quam homines, sed etiam quam Angeli: & de eius influentia non solum homines recipiunt, sed etiam Angeli. Dicitur enim Ephes. 1. quod constituit eum scilicet Christum Deum Patrem ad dexteram suā in cælestibus supra omnem potestatem, & principatum, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro, & omnia subiecit sub pedibus eius. Et ideo Christus non solum est caput hominum, sed etiam Angelorum: vnde, & Matt. 4. legitur, quod acceperunt Angeli, & ministrabant ei.

Ad primum ergo dicendum, quod influentia Christi super homines, principaliter quidem est quantum ad animas, secundum quas homines conueniunt cum Angelis in natura generis, licet non in natura speciei. Et ratione huius conformitatis Christus potest dici caput Angelorum, licet desiciat conformitas quantum ad corpora.

Ad secundum dicendum, quod Ecclesia secundum statum via est congregatio fidelium: sed secundum statum patriæ est congregatio comprehendentium. Christus autem non solum fuit viator, sed comprehensor. Et ideo non solum fidelium, sed etiam comprehendentium est caput: vnde plenissime habens gratiam & gloriam.

Ad tertium dicendum, quod August. ibi loquitur secundum quandā assimilationem cause ad effectum: prout scilicet res corporalis agit in corpus, & res spiritualis in res spirituales. Tamen humanitas Christi ex virtute spiritualis nature, scilicet diuine, potest aliquid causare non solum in spiritibus hominum, sed etiam in spiritibus Angelorum, propter maximam conuentionem eius ad Deum, scilicet secundum vñionem personalem.

Forma Textus.

CONCL. est: Christus non solum est caput hominum, sed etiam Angelorum. Probatur dupliciter. Primo ratione: quia corpori Ecclesie mystico, quod constituitur non solum ex hominibus, sed etiam ex Angelis, assignandum est vñum caput; at hoc caput est Christus; ergo Christus est caput non solum hominum, sed etiam Angelorum. Maior duas habet partes: prima est, quæ affirmat corpus Ecclesie constitui non solum ex hominibus, sed etiam ex Angelis; quæ probatur: quia vñum corpus similitudinariè dicitur vñ multitudo ordinata in vñ finem secundum distinctos actus, & officia; At homines & Angeli ordinantur in vñum finem, qui est gloria diuine fruitionis; ergo. Secunda pars affirmans tali corpori assignandum esse vñum caput, probatur; quia vbi est vñ corpus, necesse est ponere vñum caput: Minor vero probatur ex tribus capitibus conditionibus, scilicet eminentia seu primitate, perfectione & virtute influendi in alia membra: quia Christus propinquius se habet ad Deum & perfectius participat dona ipsius, non solum quam homines, sed etiam quam Angeli; ergo est caput corporis mystici, quod est Ecclesia ex hominibus, & Angelis constituta. Antecedens probatur autoritate Scripturæ ad Ephes. 1. vt patet in textu. Secundo probatur conclusio ex illo Match 4. Acceperunt Angeli, & ministrabant ei.

Expositio Textus.

ADVERTE primo, discursum S. D. alio modo & fortasse meliori, posse formari sic arguendo: Christus est caput corporis Ecclesie mystici, quod non solum consistit ex hominibus, sed etiam ex Angelis; ergo est caput non solum hominum, sed etiam Angelorum. Conseq. est euident. Antecedens autem vñum supponit & duo dicit; Supponit enim corpus Ecclesie mysticum habere caput; quod suppositum probatur: quia vbi est vñ corpus,

corpus, necesse est ponere vnum caput, ergo. Primum dictum est, corpus Ecclesie consistere non solum ex hominibus, sed etiam ex Angelis: Quod probatur, quia vnum corpus similitudinarie dicitur vna multitudo ordinata in vnum finem, &c. Secundum dictum est Christum esse caput huius mystici corporis; quod probatur ex conditionibus capitis, &c.

Secundo Vide quæ notat Caiet. circa responsiones ad primum & vltimum argumentum D. Th.

Prima Controuersia.

De veritate Conclusionis.

An scilicet Christus sit caput Angelorum.

Sententia  
Doctorem.

**A**LTISSIMO DORENSIS lib. 3. sue Summæ, tract. 1. c. 4. q. 2. docet Christum haud proprie dici caput Angelorum, & Angelos non proprie corporis Christi membrum nuncupari. Quam opinionem sequuntur Bonauen. in 3. dist. 13. art. 2. q. 3. dubio 2. Driedo in lib. de Capt. & redemptione generis humani tract. 2. c. 2. part. 3. art. 5. propositione 4. Soto in 4. f. dist. 49. q. 4. art. 2. Videtur etiam hæc opinio non displicuisse Gabrieli in 3. f. dist. 13. q. unica, art. 3. dub. 2.

Oppositam sententiam habet in hoc articulo S. D. quam præteritis omnes discipulos tam antiquos, quam recentiores tueretur etiam Alensis in sua 3. p. q. 12. memb. 2. art. 2. Ricardus in 3. dist. 13. art. 2. q. 2. Dur. q. 2. num. 7. Palud. q. 1. art. 3. Turcremata in summa de Ecclesia lib. 1. & alij.

Resolutio.  
Christus scilicet proprie caput Angelorum, sed magis proprie ac principaliter hominum probatur ex quinque capitulis conditionibus.

**Q**UÆSTIO hæc, vt ex dicendis apparebit, magis est de nomine, quam de re; nec tamen est omnino contemnenda; quia rebus grauissimis explicandis verba propria & accommodata sunt adhibenda. Ad huius igitur difficultatis euidentiam

Sciendum est primo: Has omnes conditiones Christo in ordine ad Angelos conuenire; videlicet excellentiam, superioritatem, influxum, gubernationem & conformitatem aliquam secundum ordinem naturæ, sed maiorem secundum ordinem gratiæ: Et de excellentia quidem Christi comparatione Angelorum magnifice loquitur Apostolus ad Hebr. 1. & pater ex iis, quæ supra diximus de gratia vniõis & de gratia habituali. Superioritatem etiam explicat ibidem Apostolus, dicens: Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrarum dicit; & adorant eum omnes Angeli Dei. Influxum autem Christi secundum humanitatem in Angelos affirmat Dionys. cap. 7. celestis Hierarchie declarans illud Isaia 63. Quis est iste, qui venit de Edom? his enim verbis ait Christum in Cælum ascendentem ab Angelis interrogari; quibus teste ibidem Isaia Christus respondit, dicens: Ego, qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum. Et ex his deducit Christum ad Angelos spirituales reuelationes, & illuminationes deriuari: Quod etiam affirmat Hieron. in Comment. Epist. ad Ephes. 3. exponens illa verba. Vt innotescat principatibus, & potestatibus in celestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei. His adde dictum Domini Luca 15. Ita dico vobis; Gaudium erit coram Angelis Dei super vno peccatore poenitentiam agente: Cum itaque poenitentia sit beneficium Christi Redemptoris, gaudium etiã Angelorum ex eo proueniens erit quidam spiritualis eiusdem redemptoris influxus. Vnde S. D. infra q. 59. art. 6. ait: Gaudium est quoddam præmium accidentale, quod à Christo ad Angelos deriuatur. Gubernari autem Angelorum Hierarchias & ordines à Christo colligit loco notato S. D. ex verbis illis Apost. Heb. 1. Omnes sunt ministratores spiritus in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis. Videtur enim ibi per hæc

Naz. in D. Thom. 3. partem.

**A** Apostolus significare Angelos per Christum ad nos destinari. Denique Christum vtramque, scilicet naturalem & supernaturalem habere cum Angelis conformitatem, patet: Quoniam vt ait S. Doct. hic ad primum homines quantum ad animas conueniunt cum Angelis in natura generis, quia sunt substantiæ spirituales, & præterea Christus gratiam habet & gloriam sibi & omnibus bonis Angelis communem. Licet in illo sit in summo, in istis vero secundum partem. Has autem omnes conditiones, quamquam omnes in Christo confiteantur, quidam tamen existimant eas ad rationem capitis in ordine ad Angelos in Christo constituendam non esse sufficientes, & ideo negant Christum proprie & stricte loquendo esse caput Angelorum. Sed oppositum esse verum probatur ex articulo precedente, vbi S. Doct. Christo totius Ecclesie capiti iuxta membrorum diuersitatem seu variam eorum vniõnem & dispositionem influxum spirituales illi tribuit differenter. Quibusdam enim gratiam, aliis fidem informem, aliis motum influit gratiæ præuenientis; sicut etiam caput naturale quibusdam membris vitam influit, & sensum ac motum, aliis vitam sine sensu, aliis vero motum absque sensu & operatione vitali. Cum itaque Christus vt homo respectu Angelorum habeat eminentiam, maiorem gratiæ perfectionem, influxum illuminationis, gaudij & imperij cum prædicta duplici communicatione, consequens est, ipsum quatenus homo est, vere ac proprie dici posse caput Angelorum, vt asserunt etiam diuinæ Scripturæ, quas in hoc articulo refert S. Tho. Quibus adde August. in Psal. 36. & 138. & Hylarium in Psalm. 139. Verum tamẽ est loca diuinæ Scripturæ in alium sensum absque magna violentia & absurditate posse detorqueri, vt aduertit Vasq. disp. 4. c. 3. vbi quoddam refert Doctorum Græcorum expositiones à sensu D. Tho. diuersas.

**E**x dictis sequitur primo Christum principaliter & perfectius esse caput hominum quam Angelorum. Probatur hæc deductio; quia principaliter & magis influit in homines, quam in Angelos. Gratiam enim, charitatem, fidem & cætera dona supernaturalis ordinis ac beneficia redemptionis in homines influit; quibus etiam conformis est secundum humanitatem; Angelis autem nihil horum influit, sed eos tantum illuminat, gaudia confert accidentalia, mittit in varia ministeria, & circa eos etiam iudicium exercet: quæ longe minora sunt, quæ conferuntur hominibus.

**S**ecundo sequitur duas præmissas sententias quæ 2. Corollariis videntur oppositæ, facile posse conciliari. Nam qui negant Christum esse caput Angelorum; nihil aliud intendunt, quam præcipuos illos influxus negare, quos habet in homines Christus, vt homo; ad quos redimendos & super celestibus donis exornandos missus est in mundum; ita vt hoc sine cessante non esset Christus in mundo futurus; & ideo formaliter ac proprie loquendo dicendum sit Christum per se primo secundum humanitatem esse caput hominum, secundario vero & occasionaliter ac quasi per accidens esse caput Angelorum: quia scilicet supposita occasione veniendi propter homines, vt esset eorum redemptor, doctor, pastor & caput, ex eadem excellentia & abundantia gratiæ debuit etiam esse caput omnium Angelorum, in eos influens ea supernaturalia dona, quæ eorum conditioni & statui congruebant. Exemplum potest afferri de Medico, qui ad infirmi lecto decumbentis ac febre laborantis visitationem vocatus, alteri etiam eiusdem domus satis bene valenti perfectioris confert re-

Ll media

media sanitatis. Quia tamen Christus ex summa perfectione gratiæ tam vnionis, quam habitualis virtutem habuit sufficientem, non solum in homines, sed etiam in Angelos gratiam cum aliis supernaturalibus donis tam physice, quam moraliter influendi, ideo gratia Christi respectu cuiuslibet gratiæ, per se loquendo, videtur esse capitalis sed per accidens non exercet in eis effectus præcipuos gratiæ capitalis; quoniam, vt ex sequenti Controuersia patebit, Angelis ex sola gratuita Dei voluntate, non autem ex Christi meritis gratia fuit in principio creationis à Deo collata: Itaque si de per se aut per accidens, prout in moralibus accipitur sermo sit, verum est, quod prius diximus, nimirum quasi per accidens Christum constitutum fuisse caput Angelorum; si vero de per se aut per accidens physice loquamur, quod secundum intimas rerum naturas attenditur, dicendum est Christum esse per se caput non solum hominum, sed etiam Angelorum; Quamuis in Angelos ob dictam causam officium capitis, quo ad præcipuos eius effectus non exerceat. Simpliciter autem loquendo dicendum est, Christum principalius & perfectius, ac magis proprie esse caput hominum, quam Angelorum: Quia nomen capitis significat rem habentem non solum excellentiam & perfectionem, sed etiam influxum actuale in ea, quæ sub eo sunt membra; hunc autem longe maiorem habet Christus in homines, quam in Angelos, vt ante diximus.

Postremo notanda est doctrina responsionis ad tertium argumentum cum expositione Cai. Et quamuis affirmet S. D. Christi humanitatem ex virtute spiritualis naturæ scilicet diuinæ, posse aliquid causare, non solum in spiritibus hominum, sed etiam in spiritibus Angelorum propter maximam coniunctionem eius ad Deum, scilicet secundum vnionem personalem, non tamen negat sed supponit vt ordini diuinæ prouidentie consonum virtutem hanc prius in animam & ea mediante ad corpus deriuari, adeo vt totus influxus radicaliter proxime reducat ad animam: Et ideo recte dixit Cai. ad rationem capitis necessariam esse conuenientiam in natura cum membris: quæ in Christo respectu Angelorum attenditur secundum animam, vt ait etiam S. Doct. ad 3. ac proinde licet Christus etiam secundum corpus sit caput Angelorum, ratio tamen capitis ex anima, cui primo conuenit, deriuatur ad corpus; sicut & gloria, quæ ex anima redundat in corpus. Quare Vasq. immerito Cai. reprehendit, quod dixerit ad rationem capitis requiri conuenientiam in natura; Loquitur enim Cai. cum D. Thom. de capite homogeneo, quod necesse est cum membris aliquo modo in natura conuenire, & ait satis esse Christum habere conuenientiam cum Angelis quo ad animam, eo quod illa post Deum sit prima radix omnis influxus.

*Conclusio. nec deducitur, & probatur.* PRIMA CONCLUS. Christus in quantum homo est vere ac proprie caput Angelorum. Hæc patet ex dictis in primo notabili, & probant eam recentiores prænominati pluribus argumentis, sed quæ supra posuimus, optima sunt.

SECUNDA CONCL. Christus principalius & perfectius, ac magis proprie est caput hominum, quam Angelorum: Hæc patet ex dictis in secundo notabili.

TERTIA CONCLVS. Christus secundum animam primo & secundum corpus secundario est caput Angelorum. Hæc patet ex dictis in ultimo notabili.

*Obi. cont. i. concl.* CONTRA primam conclus. præter argumenta S. Thom. sunt etiam argumenta, quæ afferunt & soluunt Medina dubio 1. Suarez disput. 23. sect. 1. Astur.

A in sua Relezione de Christi gratia, quasi. 6. dub. 3. pag. 837. & Aluarez disput. 39. Contra eandem concl. producit Vasq. verba Chrysost. hom. 1. in Epistolam ad Ephes. vbi explicans illud Apostoli: Ad dispensationem plenitudinis, &c. ait: Vnum nobis posuit caput nempe Christum secundum carnem, omnibus inquam, & Angelis, & hominibus, hoc est alium dederat Angelis principatum, & alium hominibus, hu quidem, quod secundum carnem, illi vero verbum Dei, & idem (inquit) docet Theoph. in illud ad Ephes. primo: vt consummentur omnia in Christo. Resp. hos Patres nihil aliud vel le, nisi Christum, in quantum homo, esse per se primo siue ex primaria intentione & principalius & magis proprie caput hominum, quam Angelorum, quorum iam caput erat secundum diuinitatem ab initio Mundi.

B CONTRA tertiam conclus. vt explicatur à Caetano, argumentatur Vasquez: Quia ad rationem capitis mystici solum necessarium est, vt aliquo modo in membra influat vel internam virtutem, vel externam gubernationem; ergo ad rationem capitis non requiritur necessario conuenientia in natura. Antecedens probatur primo. Nam alioquin sequeretur Christum secundum corpus non esse caput Angelorum, sed solum secundum animam, quod tamen est falsum. Secundo probatur idem Antecedens: Quia Christus etiam secundum animam non est eiusdem omnino naturæ cum Angelis; ergo. Resp. falsum esse Anteced. loquendo de capite homogeneo: vt modo loquimur: Ad primam probationem iam dictum est, rationem capitis ex anima in corpus Christi fuisse deriuatam, & ideo totam rationem capitis in animam, vt in fontem reduci ac propterea sufficere in Christo conuenientiam cū Angelis in natura, secundum animam. Ad secundam probationem responderetur non requiri conuenientiam in genere proximo, sed sufficere conuenientiam in natura capaci perfectionum, quæ per capitis influxum communicantur; qualis est in proposito natura spiritualis, quæ communis est Angelis & hominibus secundum animam.

### Secunda Controuersia.

D An ex Christi meritis aut ex humanitatis eius influxu receperint Angeli gratiam, & gloriam essentialem.

QVATUOR sunt Doctorum de proposita dubitatione sententia. Prima est Origenis homilia prima in Leuit. & homilia 9. in Lucam dicentis gratiam Angelis ex merito Christi fuisse collatam, & eos, quæ ex illis fuerunt peccatores, per Christi passionem & meritum fuisse redemptos. Quæ opinio nem, vt errorem in fide manifestum reiciunt SS. Patres & Scholastici Doctores. Vasq. tamen disputatione 49. cap. 5. nititur ostendere Origenem in hoc errore non fuisse. Videndus est Augustinus Tomo 3. in Enchir. ad Laurentium cap. 61. & 62. Gregorius lib. 18. moralium cap. 14. & lib. 28. cap. 6. & 7. Beda in illud Ephes. 1. Instaurare omnia, &c. & Anselmus in eiusdem loci expositione.

Secunda sententia est multorum Scholasticorum; qui contra Origenem negantes Angelos per Christi merita fuisse redemptos à peccatis, quibus antea tenerentur, affirmant tamen eos gratiam, quam ab initio creationis habuerunt, per Christi merita recepisse, & dici posse eos, per eandem gratiam ex Christi merito redemptos per modum præseruationis & redemptionis; quatenus scilicet virtutem

virtute passionis Christi à peccato se continerunt. Ita Catherinus in libro primo, de eximia prædestinatione Christi, & in alio de gloria Angelorum. Galatinus lib. 3. de Arcanis Catholica veritatis cap. 4. Viguerius de Institutionibus Theolog. cap. 20. §. 1. Iacobus de Valentia in illud Psalmi 102. Benedicite domino omnia opera eius. Naclantus in Epistolam ad Ephes. cap. 1. & in libro, qui inscribitur Medulla scriptura in tertia etate Mundi cap. 20. Hieronym. Rua, Controuersia 8. Scholastica. Eiusdem sententiæ videtur fuisse S. Thom. in Commentario super Ioannem cap. 1. lect. 10. & Cai. in præcedenti quæst. art. 10. & 11. quam etiam Rua prædictus tribuit S. Hieron. & Bernardo; quibus Valentia addit Cyrill. & Theodoretum dicens sententiam hanc esse probabiliorem, eo quod, cum recte intelligi possit, illustrat multo magis meritum Christi; eandem opinionem acerrime defendit Suar. infra quæst. 19. art. 4. disput. 42. & alij minoris notæ; eandem sententiam sequuntur omnes, qui docent Christum fuisse venturum, etiam si Adam non peccasset.

Tertia sententia, quam refert Astur. quæst. 6. de Christi gratia, dubio 3. pag. 846. docet gloriam & gratiam Angelis, duplici titulo fuisse collatam, tummax scilicet liberalitatis & gratiæ Dei, absque vilo respectu ad Christi merita; & titulo rigorosæ iustitiæ, scilicet Christi meritis ipsi Angelis applicatis.

Vltima sententia est D. Thom. in 3. distinct. 13. q. 2. art. 2. q. 1. & de veritate. q. 29. art. 4. ad 5. & art. 7. ad 5. & infra q. 5. art. 6. negantis Angelos ex Christi meritis aut influxu gratiam aut gloriam essentialem habuisse eandem tueri Alensis 3. part. q. 12. memb. 2. art. 3. §. 5. S. Bonau. in 3. dist. 13. art. 2. q. 3. Paul. q. 1. art. 3. Duran. ibidem, Abul. q. 107. super cap. 17. Matthæi Driedo in libro de captiuit. & redempt. tract. 2. cap. 2. parte 3. art. 5. post quartam propositionem. Almainus in 3. dist. 19. quæst. 1. post primam conclus. & Maioreadem dist. q. 1. Medina super hoc art. dubio 2. Astur. de gratia Christi q. 6. art. 3. & Vafq. disput. 49. & Aluar. disput. 40. & fauet Caic. q. 1. art. 3. vbi docet præordinationem, & præuisionem ordinis gratiæ præcedere in signo rationis præordinationem, & præuisionem vnionis hypostaticæ filij Dei cum humana natura.

Resolutio.  
Probabilem  
esse senten-  
tiam eorū,  
qui docent  
gratiam &  
gloriam An-  
gelis ex  
Christi me-  
ritis fuisse  
collatam,  
sed oppositi-  
am esse proba-  
biliorem.

Supponenda sunt hic primo ea, quæ diximus in præcedenti controuersia de influxu Christi capitis secundum humanitatem in Angelos.

Secundo supponendum est duplicem esse gloriam in Angelis, alteram essentialem quæ consistit in gratia cōsummata, & in visione ac fruitione Dei, quatenus est ipsa veritas, & ipsum bonum & vltimus finis supernaturalis; & correspondet gloria hæc essentialis primæ gratiæ, quam Deus Angelis infudit in ipso creationis eorum instanti. Alteram in super habent Angeli gloriam, quæ dicitur accidentalis; quam in actibus ministerij circa homines salutis sibi compararunt iuxta illud, Luca 15. Gaudium erit coram Angelis super vno peccatore penitentiam agente.

Tertio supponendum est Christum dupliciter in nobis gratiam efficienter causare, scilicet physice influendo per humanitatem, & moraliter id est per opera valoris infiniti, ac præsertim per passionem & mortem apud Deum gratiam iustificantem & gloriam promerendo, vt S. D. infra qu. 48. art. præsertim 1. & 6. & ibidem explicat eleganter Medina & alij recentiores.

Quarto supponenda est tota illa doctrina, quam tradit S. D. supra q. 1. art. 3. vbi probat, quod si homo non peccasset, Deus incarnatus non fuisset. Quibus suppositis; Secundo sciendum est Angelis omnibus ab initio creationis eorum reuelatum Naz. in D. Thom. 3. partem.

A fuisse mysterium incarnationis quo redimendum erat à peccato genus humanum; & omnes Angelos de illo fide habuisse; & satis probabiliter credi posse Deum illis omnibus præcepisse, vt Christum Deum & hominem post multa sæcula futurum adorarent tanquam caput, non solum hominum sed ipsorum etiam Angelorum; iuxta illud Heb. 1. Et iterum; cum introductum primogenitum in orbem terrarum, dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei: Ex quibus sequitur primo Angelos potuisse tunc primo peccare appetitu inordinatæ excellentiæ, vt Dei filius Angelicæ naturæ personaliter vniretur, quamuis non sit verisimile Angelos tali appetitu primo peccasse, vt diximus in 1. p. q. 63. art. 3. in tertia Controu. S. Postrema quæstio. Secundario tamen Angelos malos ita peccasse, & odium ac inuidiā contra Christum cōcepisse docet Asturicensis loco supra notato.

Secundo sequitur dari potuisse Angelis gratiam & gloriam ex Christi meritis à Deo prædefinitis ac præuisionis; potuit enim Deus mysterium incarnationis, & merita Christi ab Angelis fide credita ad hos etiam effectus efficaciter producendos ordinare; quamquam vt infra dicemus, non ita fuerit factum; quia Christus secundum scripturas non ad Angelos, sed ad homines suis meritis & passione redimendos missus fuit.

Tertio sequitur non esse probabilem eam opinionem, quæ dicit Deum intuitu meritorum Christi & passionis eius Angelos in officio virtutis continuisse, & in amore Dei & obsequio confirmasse, ne peccantibus Angelis consentirent, & vna cum eis damnationis pœnā incurrerent. Docent enim vbique diuinæ litteræ Christi passionem & meritum non ad præseruandum à peccato, neque ad innocentiam statum confirmandum fuisse destinata, sed in remedium humani peccati fuisse prouisa & ad illius maculam abluendam ordinata; vt patet ex locis supra notatis q. 1. art. 3. Quapropter sanctorum dicta, quæ sanctos Angelos per Christum à peccato fuisse præseruatos affirmant, de Christo ratione diuinitatis, siue quatenus Deus est, sunt intelligenda; vt de verbis S. Bernardi dicit Medina, & de cæteris omnibus affirmant Astur. & Vafq.

Tertio notandum est Christum passione sua non solum hominibus sed etiam pluribus modis Angelis profuisse. Nam primo semetipsum eorū caput constituendo maximam illis dignitatem adiunxit; ex quo sequitur eos à Christo in cælum ascendente de multis fuisse mysteris illuminatos & continue etiam illuminari. Secundo Christus homines redimendo & eos in celestem gloriam adducendo, ruinas Angelorum impleuit, dum numerum in singulis choris & ordinibus, ex multorum lapsu deficientem, exaltatis ad lapsum sedes hominibus, reparauit; Et quia salutem hominum procurat Deus per Angelorum etiam ministeria, ideo beatificatis hominibus gloria quædam accidentaliter additur Angelis, qui de iustorum salute, & eorum perpetua pace cum Deo & cū Angelis ipsis inita ac federe sempiterno firmata lætantur. Ex quibus patet, quomodo sint accipienda plura diuinæ scripturæ dicta, quæ secundæ sententiæ defensores allegant in sui fauorem; quale est illud ad Ephes. 1. Intraur are omnia in Christo siue quæ in terris, siue quæ in Cælis sunt: & ad Cmos. 1. Pacificans per sanguinem crucis eius siue quæ in terris siue quæ in Cælis sunt; Quorum sensum explicant eleganter S. August. Tomo 3. in Enchir. ad Laurentium ca. 61 & 62. S. Tho. in suo Commentario, Medina super hoc articulo. Asturicensis loco supra notato, & Vafq. in allegata disp. 49. cap. 4. vbi diligenter expendit varias patrum expositiones circa prædicta, & alia loca diuinæ scripturæ.

Conclusio-  
nes dedu-  
cta, & pro-  
bata.

scripturæ, quibus maxime nituntur ij, qui secun-  
dam tuerentur opinionem.

PRIMA CONCL. Quamvis probabilis sit ea sententia,  
qua docet Angelos ex Christi meritis gratiam & gloriam  
essentialem accepisse; si tamen cum D. Thom. supponamus  
Christum non fuisse venturum, si primus homo non pecca-  
ret, atque adeo Christum fuisse prædestinatum in redem-  
ptorem, non videtur probabilis illa sententia, qua secun-  
da est neque tertia: Prima pars huius conclusionis  
probat primo: quia probabilis est apud Theo-  
logos illa sententia, qua docet Christi prædesti-  
nationem non præsupponere præscientiam origi-  
nalis peccati, & Christum fuisse prædestinatum  
ante præscientiam & præordinationem omnium  
rerum naturalium: hac enim opinione supposita  
facile intelligitur Angelos ex Christi meritis fuisse  
prædestinatos. Secundo probatur eadem pars:  
Quia facile intelligi potest Christum per eadem  
opera, quib. nobis meruit gratiam sanitatis, grati-  
am quoque & gloriam essentiali Angelis me-  
ruisse, diuersa tamen ratione: Nam bene concipi  
posset opera Christi, ut eius passione & morte cõ-  
summata hominibus profuisset, ut opera redem-  
ptionis; quatenus autem ex charitate & aliis vir-  
tutibus procedebant, quæ Christo poterant con-  
uenire, etiam si corpus assumeret impassibile &  
immortale, gratiam & gloriam Angelis meruisse.  
Altera pars eiusdem conclusionis dicens: Si tamen  
supponamus cum D. Thom. & c. probatur primo,  
Quia omnis gratia ex meritis Christi promanans  
est gratia redemptionis, & gratia sanans: at talis gra-  
tia non deriuatur ad Angelos: quia Christus ne-  
que pro illis mortuus est, nec eos redemit; igitur  
Angeli gratia ex Christi meritis non acceperunt.

SECUNDA CONCLVS. Postrema sententia negans  
Christum Angelis gratiam & gloriam essentiali me-  
ruisse longe probabilior est: Probat primo ex para-  
bola pastoris, qui reliquit nonaginta nouem in deserto,  
& abiit, ut eam quæretet, quæ perierat. Matth. 18.  
& Luca 15. Nam per Pastorem Doctores intelli-  
gunt Christum, per oves nonaginta nouem in  
deserto relictas dicunt significari nouem Ange-  
lorum choros in Cælo relictos, ut humanam na-  
turam, quæ veluti ouis errauerat, sua doctrina &  
merito quæretet, sanaret & ad celestem patriam,  
vnde diuerterat, suis humeris impositam repor-  
taret. Ita S. Ambros. in Lucam lib. 7. cap. de oue centesi-  
ma. S. Greg. Hom. 34. in Euang. Beda in illud Luca 15.  
Qui ex vobis homo, & c. & Anselm. in illud Matthæi 18.  
Quid vobis videtur, & c. & Theophil. in eorundem lo-  
corum expositione. Si autem Dei filius ad iustifican-  
dos etiam Angelos & à peccato præseruandos  
carnem assumpsisset, vere dici non posset ipsum  
Angelos in Cælo reliquisse, ut hominem perditum  
reuocaret, sed dicendum esset Dei filium ad  
Angelos etiam iustificandos carnem assumpsisse;  
quia scilicet virtute meriti Saluatoris futuri gra-  
tiam in principio suæ creationis acceperunt; tam-  
etsi dici non posset Christum ad eos à peccato re-  
uocandos venisse. Cuius argumenti vim aduer-  
sus Suarezium optime defendit Vasq. in allegata  
disputat. cap. 2. Præterea probatur conclusio ex illo  
Apostoli dicto, ad Heb. 2. Qui sanctificat, & qui san-  
ctificatur ex vno omnes, id est ex vno primo parente,  
scilicet Adam; & subdit Apostolus. Propter quam  
causam non confunditur fratres eos vocare dicens: Nun-  
ciabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ  
laudabo te; & iterum: ego ero fidens in eum: Ecce ego, &  
pueri mei, quos dedit mihi Deus; quia ergo pueri commu-  
nicauerunt carni, & sanguini, & ipse similiter participa-  
uit eisdem; Quæ verba de solis hominibus secun-  
dum communem Sanctorum expositionem sunt  
intelligenda; ac proinde Sanctorum Angelorum

gratia non videtur ad Christi sanctificationem  
pertinere; ut optime probat Asturicensis loco supra  
notato, & post eum Vasquez latius vim explicat  
huius argumenti, & contra Suarez. responsiones de-  
fendit acerrime. Tertio probatur conclusio au-  
thoritatibus SS. Patrum supra notatis, & aliis, quas  
refert & expendit Vasq. in allegata disput. 49. cap. 3.  
Quarto probatur eadem conclusio: quia, si op-  
posita sententia vera esset, sequeretur Angelos non  
ante Christi mortem gloriam essentiali fuisse  
consecutos; quod esse falsum docuit Christus  
Matth. 18. dicens angeli eorum semper vident faciem  
Patris mei, qui in Cælo est; ergo Consequentia pro-  
batur: quia non deuit, ut Angeli per Christi me-  
rita ad essentiali gloriam adducerentur, & prius  
ipsi, quam Christus glorificarentur, & membro-  
rum gloria prior esset, quam gloria capitis: sicut  
etiam ob eandem causam patres veteris testamē-  
ti gloriam essentiali ante Christum non fuerunt  
assecuti. His addit Asturicensis duas congruen-  
tias; quibus ostenditur veritatem hanc esse pro-  
babilem, Vide etiam eas rationes, quibus eandē  
veritatem probat Medina super hoc articulo.

CONTRA primam, & secundam conclus. sunt Ar-  
gumenta, quæ refertur & soluunt Medina, Astur.  
Vasq. & Aluar. locis supra notatis. Argumenta, & solu-  
tiones.

## ARTICVLVS V.

Utrum gratia Christi, secundum quam est caput Ecclesiæ,  
sit eadem cum gratia habituali eius, secun-  
dum quod est quidam homo singularis.

AD quintum sic proceditur. Videtur, quod non sit ea-  
dem gratia, qua Christus est caput Ecclesiæ, cum gra-  
tia singulari illius hominis. Dicit enim Apost. Rom. 5. Si  
vnius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei  
& donum, in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures  
abundauit. Sed aliud est peccatum actuale ipsius Adæ, &  
aliud peccatum originale, quod traduxit in posterum. Ergo  
alia est gratia personalis, quæ est propria ipsius Christi, &  
alia est gratia eius, in quantum est caput Ecclesiæ, quæ ab  
ipso ad alios deriuatur.

Præterea, habitus distinguuntur secundum actus. Sed  
ad alium actum ordinatur in Christo gratia eius persona-  
lis, scilicet ad sanctificationem illius animæ: & ad alium  
actum ordinatur gratia capitis, scilicet ad sanctificandum  
alios. Ergo alia est gratia personalis ipsius Christi, & alia  
est gratia eius, in quantum est caput Ecclesiæ.

Præterea, Sicut supra dictum est, in Christo distingui-  
tur triplex gratia, scilicet gratia vniuersalis, gratia capitis,  
& gratia singularis illius hominis: sed gratia singularis  
Christi est alia à gratia vniuersali: ergo etiam est alia à gra-  
tia capitis.

Sed contra est, quod dicitur Ioan. primo, De plenitudi-  
ne eius nos omnes accepimus. Secundum hoc autem est ca-  
put nostrum, quod ab eo accipimus. Ergo secundum hoc,  
quod habuit plenitudinem gratiæ, est caput nostrum. Ple-  
nitudinem autem gratiæ habuit, secundum quod perfecte  
fuit in illo gratia personalis, ut supra dictum est. Ergo se-  
cundum gratiam personalem est caput nostrum, & ita non  
est alia gratia capitis, & alia gratia personalis.

Respondetur dicendum, quod quia vnumquodque agit  
in quantum est ens actu, oportet quod idem sit actus, quo a-  
liiquid est actu, & quo agit, sicut idem est calor, quo ignis  
est calidus, & quo calfacit. Non tamen omnis actus, quo  
aliquid est actu, sufficit ad hoc, quod sit principium agendi  
in alia: cum enim agens sit per se stans in patiente (ut Aug.  
dicit 12. super Gen. ad litteram, cap. 16. tom. 3. & Philoso-  
phus in 3. de anima) oportet, quod agens in alia habeat  
actum secundum eminentiam quandam. Dictum est autem  
supra, quod in anima Christi recepta est gratia secundum  
maximam eminentiam: & ideo ex eminentia gratiæ, quæ accepit,  
cōpetit sibi, quod gratia illa ad alios deriuetur: quod pertinet  
ad gratiam.

ad rationem capitis. Et ideo eadem est secundum essentiam gratia personalis, qua anima Christi est iustificata, & gratia eius, secundum quam est caput Ecclesie iustificans alios: differt tamen secundum rationem.

1006.

Ad primum ergo dicendum, quod peccatum originale in Adam, quod est peccatum naturæ, deriuatum est à peccato actuali ipsius, quod est peccatum personale: quia in eo persona corrumpit naturam: qua corruptione mediantem, peccatum primi hominis deriuatur ad posterum, secundum quod natura corrupta corrumpit personam. Sed gratia non deriuatur à Christo in nos mediante natura humana, sed per solam personalem actionem ipsius Christi. Unde non oportet in Christo distinguere duplicem gratiam: quarum una respondeat naturæ, alia personæ, sicut in Adam distinguitur peccatum naturæ, & persona.

Ad secundum dicendum, quod diuersi actus, quorum unus est ratio, & causa alterius, non diuersificant habitum: actus autem personalis gratiæ, qui est sanctum facere formaliter habentem, est ratio iustificationis aliorum, quæ pertinent ad gratiam capitis. Et inde est, quod per huiusmodi differentiam non diuersificatur essentia habitus.

Ad tertiam dicendum, quod gratia personalis, & gratia capitis ordinantur ad aliquem actum: gratia autem vnionis non ordinatur ad actum, sed ad esse personale. Et ideo gratia personalis & gratia capitis conueniunt in essentia habitus, non autem gratia vnionis. Quamuis personalis gratia possit quodammodo dici gratia vnionis: prout facit congruitatem quandam ad vnionem. Et secundum hoc una per essentiam est gratia vnionis, & gratia capitis, & gratia singularis personæ sed differens sola ratione.

Sensus quæstii.

EX DICENDIS in expositione textus patebit sensus quæstii: sermo enim est de gratia, secundum quam Christus non radicaliter, sed formaliter est caput Ecclesie; & de gratia habituali, prout includit totam animæ iustitiam tam secundum essentiam animæ, quam secundum potentias supernaturalibus habitibus perfectas.

Forma Textus.

CONCL. est: Eadem est secundum essentiam gratia personalis, qua anima Christi est iustificata, & gratia eius, secundum quam est caput Ecclesie iustificans alios: differt tamen secundum rationem. Probatum prima pars: Quia ex eminentia gratiæ quam Christus accepit, competit illi ut gratia illa ad alios deriuetur; ergo eadem est secundum essentiam, &c. Cōsequenter probatur quoniam hoc pertinet ad rationem capitis, quod scilicet gratia ex sui eminentia deriuetur ad alios. Antecedens autem probatur: Quia oportet, ut idem sit actus, quo aliquid est actus & quo agit; ita tamen, ut agens in alia habeat actum secundum eminentiam quandam: At in anima Christi est gratia secundum maximam eminentiam: ergo. Minor patet ex supra dictis art. 1. huius quæst. & art. 7. quæst. præcedentis. Maior quo ad primam partem probatur, quia vnumquodque agit, in quantum est in actu, & explicatur exemplo caloris in igne: quo ad secundam vero partem probatur: quia agens est præstantius patiente, ut Augustinus dicit 12. super Gen. ad lit. & Arist. in 3. de anima; ergo oportet, ut agens in alia habeat actum secundum eminentiam quandam. Secunda pars conclusionis relinquitur, ut euident.

Expositio Textus.

NOTANDUM est hic primo dupliciter aliorum gratiam ex Christi gratia posse deriuari: Vno modo per physicum influxum & efficientiam: & de hoc deriuationis modo non agit hic S. Doct. hic enim proprie & per se non pertinet ad gratiā

Naz. in D. Thom. 3. partem.

capitis, ut sic. Alio modo per moralem quandam causalitatem; quæ est per modum meriti, & hic proprie & per se pertinet ad gratiam capitis, quatenus talis; & de hoc deriuationis modo loquitur hic S. Thom.

Secundo notandum est S. Thom. hic non ex simplici eminentia gratiæ Christi, sed ex maxima eminentia deducere illam ad alios deriuari; quæ quidem eminentia secundum duo potest attendi: Alterum est intentio maxima, & hæc per se sola non sufficit, ut gratiam sic eminenter habens in alios influat cauendo gratiam in eis per opera condigne meritoria; ut patet ex supra dictis. Alterum est coniunctio ipsius gratiæ habitualis cum gratia vnionis in eadem anima; quia scilicet est in anima Deo personaliter vnita; ex hac etenim coniunctione gratia Christi habitualis maximam adipiscitur excellentiam; atque adeo vim influendi moraliter in alios omnes, qui per gratiam Filij Dei ad opitui constituuntur.

Tertio notandum est ex S. Thom. in 3. dist. 13. q. 3. art. 2. quæst. 1. & 3. Tres in Christo gratias considerare, scilicet gratiam vnionis, gratiam singularis personæ, & gratiam capitis: quæ Christo attribuuntur secundum diuersas considerationes; potest enim considerari secundum se; vel in ordine ad alios: & priori modo adhuc dupliciter potest considerari; primo quatenus Deus; & ita conuenit ei gratia vnionis. Secundo, quatenus homo, & ita conuenit ei gratia singularis. Si autem in ordine ad alios, sic ei attribuitur gratia capitis, Et quoniam

(inquit ibi S. D.) prius consideratur aliquid in se, quam in comparatione ad alios, ideo gratia, secundum quam est caput, sequitur ad alias gratias; & quia omnis gratia, & perfectio humanitatis ex hoc sibi debetur, quia Deo vnitus est homo ille in persona, ideo gratia vnionis præcedit secundum ordinem naturæ, & intellectus gratiam singularem; quamuis simul in eodem tempore sint istæ tres gratiæ, & ibidem quæstiuncula prima sic discutit: Si gratia vnionis dicatur gratia habitualis quodammodo disponens ad vnionem, sic eadem est per essentiam gratia vnionis, capitis, & singularis illius hominis, solum ratione differens, quia in quantum perficiebat animam Christi ad actus meritorios, dicitur gratia illius singularis hominis; in quantum vero tantum erat huius gratiæ copia, ut in alios redundare posset, dicitur gratia capitis; in quantum vero gratiam debebat inesse assumptæ naturæ, potest quodammodo dici gratia vnionis: Si vero gratia dicatur voluntas Dei gratuita, sic iterum constat, quod est vna: Alii autem modis accipiendo gratiam vnionis constat, quod per essentiam differt, nisi quatenus intelligitur caput, ut Deus. Differentias inter prædictos gratiarum modos explicat accurate Medina super hoc art.

Ex his sequitur primo solam gratiam habitualemente proprie & formaliter loquendo esse gratiam capitis; gratiam autem vnionis dici non posse gratiam capitis, nisi radicaliter siue originaliter tantum. Gratia namque capitalis dicitur, quatenus principium est operis supernaturalis, quo Christus cæteris gratiam meruit ex condigno: huius autem operis ut meritum proximum & formale principium est gratia habitualis prædicto modo sumpta, prout scilicet includit totam animæ iustitiam; radicale vero principium est gratia vnionis, ex qua veluti proprietas gratia habitualis emanat; & quæ perfectam tribuit operi condignitatem & valoris infinitatem; ut patet ex his, quæ diximus supra q. 1. art. 2.

Secundo sequitur haud recte distingui posse gratiam in eam, qua caput ipsum constituitur in esse capitis, ita ut hæc sit gratia vnionis, & in eam quæ datur capiti, ut eliciat actiones capitis, per quas influat in alios; ita ut hæc sit gratia habitualis; qua

Ll 3 distin-

Suarez  
distinctione  
reducitur.

distinctione utitur Suarez. *disp. 23. sect. 2.* Huius enim distinctionis falsitas patet ex dictis. Cum enim gratia capitis ut sic, ordinetur ad alios quibus gratia cōicatur, eandem omnino gratiam esse necesse est, qua caput in esse capitis constituitur, & qua elicit actiones gratiæ communicatiuas.

Tertio sequitur Vasq. *disp. 49. cap. 3.* absque sufficienti ratione mirari, quod Theologi gratiæ vnionis omnino attribuerint nomen gratiæ capitalis. Quamuis enim tota virtus, efficacia & dignitas meritorum Christi, ratione cuius influxum gratiæ deriuat in membra, sit ex gratia vnionis, à qua etiam oritur ipsa gratia habitualis, opus tamen ut meritorium formaliter & essentialiter ex habituali gratia prædicto modo sumpta, tanquā ex proximo & formali principio deriuatur. cum itaque dignitas & efficacia illa moralis sit modus quidam operis meritorij in ipsum ex vnionis gratia media habituali gratia deriuatus, consequens est ut nomen & ratio gratiæ capitalis propriæ & formaliter conueniat gratiæ habituali, ex qua proxime meritorium opus elicitur cum prædicto modo, videlicet infinita dignitate, quæ ex vnione in gratiā habitualem & ex gratia habituali in opus eius meritorium deriuatur. His adde gratiam capitis eiusdem esse rationis cum gratia membrorum; sicut in naturalibus vita capitis eiusdem est rationis cum vita membrorum; ut patet ex præcedentium articulorum doctrina.

Videnda sunt, quæ scribit Caietanus circa responsiones ad primum & secundum argumen. & post eum Suarez in *com. circa respons. ad 1.*

## ARTICVLVS VI.

Utrum esse caput Ecclesiæ sit proprium Christo.

Inf. 27. ca.  
& ver. 9.  
29. art. 4. c.  
Et 1. Cor. 11.  
c. 3.

**A**D sextum sic proceditur. Videtur, quod esse caput Ecclesiæ non sit proprium Christo. Dicitur enim 1. Reg. 15. Cum esses paruulus in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es. Sed vna est Ecclesiā in nouo, & veteri Testamento. Ergo videtur, quod eadem ratione aliquis alius homo præter Christum poterit esse caput Ecclesiæ.

Præterea: Ex hoc Christus dicitur esse caput Ecclesiæ, quod gratiam influit Ecclesiæ membris. Sed etiam ad alios pertinet gratiam alius præbere: secundum illud Ephes. 4. Omnis sermo malus ab ore vestro non procedat: sed si quis bonus est ad adificationem fidei, ut det gratiam audientibus. Ergo videtur, quod etiam alij quam Christo competat esse Ecclesiæ caput.

Præterea: Christus ex eo, quod præest Ecclesiæ, non solum dicitur caput, sed etiam pastor, & fundamentum Ecclesiæ. Sed non sibi solum Christus retinuit nomen Pastoris secundum illud 1. Pet. 5. Cum apparuerit princeps Pastorum, percipietur immarcescibilem gloria coronam. Nec etiam nomen fundamenti: secundum illud Apoc. 21. Murus ciuitatis habens fundamenta duodecim; ergo videtur, quod nec etiam nomen Capitis sibi soli retinuit.

Sed contra est, quod dicitur Col. 2. Caput Ecclesiæ est, ex quo corpus per nexus, & cōiunctiones subministratum, & constructum, crescit in augmentum Dei. Sed hoc soli Christo conuenit. Ergo solus Christus est caput Ecclesiæ.

Respondetur dicendum, quod caput in alia membra influit dupliciter. Vno modo quodā intrinseco influxu: prout scilicet virtus motiua, & sensitiva, à capite deriuatur ad cetera membra. Alio modo secundum quandam exteriorē gubernationem: prout scilicet secundum visum, & alios sensus, qui in capite radicantur, dirigitur homo in exterioribus actibus. Interior autē influxus gratiæ, non est ab aliquo, nisi à solo Christo; cuius humanitas ex hoc, quod est diuinitati cōiuncta, habet virtutem iustificandi. Sed influxus in membra Ecclesiæ quantum ad exteriorē gubernationem, potest alius conuenire, & secundum hoc aliqui alij

possunt dici capita Ecclesiæ: secundum aliud Amos 6. Optimates capita populorum. Differenter tamen à Christo: primo quidem quantum ad hoc, quod Christus est caput omnium eorum, qui ad Ecclesiam pertinent, secundum omnem locum, & tempus, & statum: alij autem homines dicuntur capita, secundum quadam specialia loca, sicut Episcopi suarum Ecclesiarum: vel etiam secundum determinatum tempus, sicut Papa est caput totius Ecclesiæ, scilicet tempore sui pontificatus: & secundum determinatum statum, prout scilicet sunt in statu viatoris. Alio modo, quia Christus est caput Ecclesiæ propria virtute, & auctoritate. Alij vero dicuntur capita, in quantum vicem gerunt Christi: secundum illud 2. ad Corinth. 2. Nam, & ego quod donauimus, si quid donauimus propter vos in persona Christi, & secundum illud secunda ad Cor. 5. Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.

Ad primum ergo dicendum, quod verbum illud intelligitur, secundum quod ratio capitis consideratur ex exteriori gubernatione: prout dicitur Rex caput regni sui.

Ad secundum dicendum, quod homo non dat gratiam interius infundendo, sed exterius persuadendo ad ea, quæ sunt gratiæ.

Ad tertium dicendum, quod sicut Aug. dicit super Ioa. Tract. 45. Si prepositi Ecclesiæ pastores sunt, quomodo vnus pastor est, nisi quia sunt illi omnes vnus membra pastores: Et similiter alij possunt dici fundamenta, & capita, in quantum sunt vnus capitis, & fundamenti membra. Et tamen, sicut August. ibidem dicit pastorem esse dedit membris ius: ostium vero nemo nostrum se dicit: hoc sibi ipse proprium tenuit. Et ideo, quia in ostio importatur principalis auctoritas, in quantum ostium est, per quod omnes ingrediuntur in domum: & ipse solus Christus est, per quem accessum habemus in gratiam istam, in qua stamus. Per alia vero nomina prædicta potest importari auctoritas, non solum principalis, sed etiam secundaria.

Sensus questii.

TITVLVM explicat optime Caietanus.

Forma Textus.

**P**RÆMISSA vna distinctione respondetur questio duabus conclusionibus.

Distinctio est: Caput in alia membra influit dupliciter: Vno modo, quodam intrinseco influxu, prout scilicet virtus motiua & sensitiva à capite deriuatur ad cetera membra: Alio modo secundum quandam exteriorē gubernationem, prout scilicet secundum visum & alios sensus, qui in capite radicantur, dirigitur homo in exterioribus actibus.

**PRIMA CONCL.** quæ implicite tantum habetur in textu, est: Esse caput Ecclesiæ secundum interiorē influxum est proprium Christo. Probatur: quia interior influxus gratiæ non est ab aliquo sed solum à Christo; ergo. Antecedens probatur: quia humanitas Christi ex hoc, quod est diuinitati cōiuncta, habet virtutem iustificandi: ergo.

**SECUNDA CONCL.** Esse caput Ecclesiæ secundum exteriorē gubernationem est commune Christo, & alijs, differenter tamen. Prima pars huius conclusionis probatur ex diuina scriptura Amos 6 dicente: Optimates capita populorum. Secunda pars probatur afferendo duplicem differentiationem: Quarum vna est secundum extensionem, vel restrictionem quo ad tempus aut locum aut statum. Nam Christus est caput omnium eorum, qui ad Ecclesiam pertinent secundum omnem locum & tempus & statum, scilicet viæ & termini. Alij autem homines dicuntur capita secundum quadam specialia loca, sicut Episcopi suarum Ecclesiarum, vel etiam secundum determinatum tempus & c. prout in textu. Altera differentia est secundum virtutē & auctoritatem propriam aut vicariam. Nam Christus est caput

caput Ecclesiae propria virtute & autoritate; alij vero dicuntur capita, inquantum vices gerunt Christi, quod probatur autoritate Apostoli. 2. Cor. 2. & 5. ut patet in textu.

Expositio Textus.

**M**OVET Medina duas dubitationes, alteram circa primam, & alteram circa secundam conclusionem D. Tho. quibus optime satisfacit. Vide etiam, quae breuiter circa eandem dubitationes scribunt Val. & Suar. *super hoc art.* & ante eos Ioannes de Turrecremata, lib. 1. de Ecclesia, cap. 52. ubi notat nomen capituli dupliciter dici, scilicet communiter & proprie: & priori quidem modo dupliciter (inquit) sumitur: Vno modo prout dicitur solam excellentiam perfectionis: & hoc modo omne, quod est nobilissimum & perfectissimum in quacunque natura dicitur caput: sicut Leo in animalibus. Alio modo, prout solam dicitur rationem principii, & hoc modo omne principium viae dicitur caput viae, & fons dicitur caput fluminis: & eadem ratione tota Trinitas dicitur caput Christi, quatenus homo est: quoniam ex ea veluti ex primo ac plenissimo fonte deriuatur omnia dona in humanitate Christi, & ideo prima Cor. 11. dicitur *Caput Christi Deus*: & hoc eodem modo dicitur Deus & tota Trinitas caput Ecclesiae: quoniam ab ipsa fonte deriuatur omnis influentia deriuatur. Secundo dicitur (ut ait idem author) caput proprie, prout scilicet cum ratione principii dicitur uniformitatem naturae cum eo, cuius est caput: & hoc modo (inquit) soli Christo conuenit esse caput Ecclesiae: Quod verum est, non tamen quatenus dictio *solus* excludit patrem & Spiritum sanctum, quibus hoc modo non competit hoc nomen capituli: sed etiam quatenus eadem dictione *solus* excluduntur ceteri homines: nullus enim hominum est primum principium eorum donorum spiritualium, quae ceteris hominibus communicantur: nec ullus est hominum, qui moralem scilicet, per merita condignum, aut physicam in alios habeat influentiam, nisi ad modum instrumenti separati. Vide etiam eundem authorem in secundo libro eiusdem summi, c. 20. ubi ex multis Sanctorum dictis probat Petrum recte caput Ecclesiae nuncupari.

Circa respons. ad 3. vide ea quae scribit idem author in eodem lib. 2. cap. 17. & 19. ubi probat & aduersus haereticos defendit Petrum recte dici fundamentum Ecclesiae: quod de omnibus etiam Apostolis diuina scriptura testatur dicens Apoc. 21. *Et murus Civitatis habens fundamenta duodecim*, & in ipsis duodecim nomina Apostolorum, & Agni. Singulari tamen quodam modo Petro inter Apostolos conuenit nomen fundamenti, de quo Turrecremata in allegariis tribus capitulis satis copiose dissecit. Agit hic Alvarez de merito Christi a disp. 42. v. 3. ad 50. inclusivae: sed harum disputationum propria sedes est infra q. 19. a. 3. & 4.

# ARTICVLVS VII.

Utrum Diabolus sit caput omnium malorum.

*infra a. 8. c.* **A**D septimum sic proceditur. Videtur, quod Diabolus non sit caput malorum. Ad rationem enim capituli pertinet, quod influat sensum, & motum in membra: ut dicitur quaedam glossa super illud ad Ephes. 1. *Ipsam dedit caput*, &c. Sed Diabolus non habet virtutem influendi malitiam peccati: quod ex voluntate peccantis procedit. Ergo Diabolus non potest dici caput malorum.

Præterea: Per quodlibet peccatum fit homo malus. Sed non omnia peccata sunt à diabolo. Quod quidem manifestum est de peccatis demonum, qui non ex persuasione aliterius peccaverunt. Similiter etiam nec omne peccatum hominis ex diabolo procedit: dicitur enim in lib. de Ecclesiasticis dogmatibus. Non omnes cogitationes nostra mala, ca. 82. to. 3. semper diaboli instinctu excitantur: sed aliquoties ex motu operis. Augustinus. Tu arbitrij nostri emergunt: ergo diabolus non est caput omnium malorum.

**A**sum est de peccatis demonum, qui non ex persuasione aliterius peccaverunt. Similiter etiam nec omne peccatum hominis ex diabolo procedit: dicitur enim in lib. de Ecclesiasticis dogmatibus. Non omnes cogitationes nostra mala, ca. 82. to. 3. semper diaboli instinctu excitantur: sed aliquoties ex motu operis. Augustinus. Tu arbitrij nostri emergunt: ergo diabolus non est caput omnium malorum.

Præterea: Vnum caput vni corpori praeficitur. Sed tota multitudo malorum non videtur habere aliquid, in quo vniantur: quia malum malo contingit esse contrarium: contingit etiam ex diversis defectibus, ut Dionysius dicit 4. cap. de Divin. nomin. Non ergo diabolus potest dici caput omnium malorum.

Sed contra est, quod super illud Job. 18. *Memoria illius pereat de terra*: dicit glossa. De vnoquoque iniquo dicitur, ut ad caput, id est diabolum reuertatur.

Respondetur dicendum, quod sicut supra dictum est, caput non solum interius influat membris, sed etiam exterius gubernat, eorum actus dirigendo ad aliquem finem. Sic ergo potest dici aliquis caput alicuius multitudinis, vel secundum vtrumque, scilicet secundum interiorem influxum, & exterioriorem gubernationem: & sic est Christus caput Ecclesiae, ut dictum est. Vel secundum exterioriorem gubernationem: & sic quilibet princeps, vel praelatus est caput multitudinis sui subiectae. Et per hunc modum dicitur diabolus caput omnium malorum: nam, ut dicitur Job. 41. ipse est Rex super vniuersos filios superbiae. Pertinet autem ad gubernatorem, ut eos quos gubernat, ad suum finem adducat: finis autem diaboli est auersio rationalis creature à Deo: unde, & à primo ipso hominem ab obedientia diuini precepti remouere tentauit. Ipsa autem auersio à Deo, habet rationem iniuriae, inquantum appetitur sub specie libertatis, secundum illud Hierem. 2. *A seculo confregisti iugum, rupisti vincula*, & dixisti, non seruiam. Inquantum igitur ad hunc finem à iugum adducuntur peccando, sub diaboli regimine, & gubernatione cadunt: & ex hoc dicitur eorum caput.

Ad primum ergo dicendum, quod licet diabolus interius non influat rationali menti: tamen suggerendo inducit ad malum.

Ad secundum dicendum, quod gubernator non semper suggerit singulis, ut sua voluntati obediant, sed preponit omnibus signum suae voluntatis: ad cuius sequelam aliqui exierunt in malum, alij propria sponte. Sicut patet in duce exercitus, cuius vexillum sequuntur milites etiam nullo persuadente. Sic igitur primum peccatum diaboli (quia ab initio peccat, ut dicitur 1. Ioan. 3.) propositum est omnibus ad sequendum: quod quidam imitantur per suggestionem ipsius, qui dam propria sponte absque vlla suggestionem. Et secundum hoc omnium malorum caput est diabolus, inquantum ipsum imitantur: secundum illud Sap. 2. *Inuidia diaboli mors introiit in orbem terrarum*: imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius.

Ad tertium dicendum, quod omnia peccata conueniunt in auersione à Deo, licet ab inuicem differant, secundum conuersionem ad diuersa commutabilia bona.

Sensus quaestio.

**E**DIABOLI nomine intelligitur princeps demoniorum: ut ex dicendis patebit.

Forma Textus.

**P**REMISSA distinctione respondetur quaestio vnica conclusione.

Distinctio est: Aliquis potest dici caput alicuius multitudinis dupliciter: Vno modo secundum interiorem & exteriorem gubernationem simul: Alio modo secundum solam exteriori gubernationem. Probat primum haec distinctio: Quia caput non solum interius influat membris, sed etiam exterius gubernat eorum actus dirigendo ad aliquem finem. Deinde declaratur exemplo Christi: qui primo modo est caput Ecclesiae, & exemplo cuiuslibet

principis vel praelati, qui secundo modo est caput A multitudinis sibi subiecta.

CONCL. est: Diabolus est caput omnium malorum secundo modo, videlicet secundum exteriorē gubernationem: Probatur primo auctoritate scripturā Iob. 41. dicentis: Ipse est rex super omnes filios superbiae: secundo ratione: Quia ad gubernatorem pertinet, ut eos quos gubernat, ad suum finem adducat: Sed Diabolus omnes malos ad suum finem adducit: ergo. Maior patet ex dictis. Minor vero probatur: quia finis Diaboli est auersio rationalis creaturæ a Deo: ad quem finem adducuntur homines peccando: ergo: Diabolus omnes malos ad suum finem adducit: Consequentia relinquitur, ut nota: Anteced. vero quo ad primam partem probatur: quia Diabolus a principio hominem ab obediētia diuini praecepti remouere tentauit: secundo declaratur explicando modum, quo auersio a Deo habeat rationem finis: habet enim (inquit S. D.) rationem finis, in quantum appetitur sub specie libertatis: quod probatur ex illo Hierem. 2. a saeculo confregisti iugum, rupisti vincula, & dixisti, non seruiam. Secunda vero pars antecedentis non eget probatione.

Expositio Textus.

C A I E T. in sequenti artic. docet nomen Diaboli hic non sumi pro vno aliquo Diabolo solo, sed pro toto ordine Diabolico, vel certe pro Lucifer, ut continet totum ordinem Diabolicum: ita ut sensus sit: Diabolus, hoc est Lucifer cum suis, vel ordo Diabolicus est caput omnium malorum hominum: & huic sensui attestantur (inquit) tentationes hominum, quæ non ab aliquo vno Diabolo fiunt: Sed alij expositores affirmant hic nomine Diaboli intelligi principem Dæmoniorum: ita Med. Valentia & Suar. super hoc art. Ratio, quam affert Med. est: quia S. D. in probatione conclusionis affert dictum illud Iob. 41. Ipse est rex super omnes filios superbiae, ubi illud pronomen ipse principem dæmoniorum designat. Addit Suarez rationem: quia Lucifer omnes superat malitia, & omnes aliquo modo ad peccandum induxit, vel per se vel per alios: ut patet ex 1. p. q. 63. a. 8. & quest. 109. & 114. & 1. 2. q. 10. & 80. & confirmatur primo: quia Lucifer dicitur princeps huius mundi Iohannis 12. & 14. Nunc princeps huius mundi eiecitur foras: Secundo, quia videtur hic sensus satis aperte colligi ex resp. ad 2. Probari potest etiam hæc sententia ex conditionibus capitis superius explicatis, quæ vni soli supposito absolute, vel in vno tali ordine, siue secundum vnam talem rationem capitis conueniunt: & ideo nec Christus cum ministris dicitur Ecclesiæ caput, nec Deus cum principibus & praelatis dicitur caput hominum aut Ecclesiæ, nec Summus Pontifex cum Episcopis dicitur vnum Ecclesiæ caput, licet quilibet in suo ordine sit & dicatur non improprie caput: ergo neque totus ordo dæmoniorum, neque Lucifer, ut continens totum ordinem dæmoniorum, poterit proprie dici caput omnium malorum, licet quilibet ex principantibus dæmonibus sit caput in ordine suo. Nec obstat, quod non solus Lucifer, sed etiam alij tentant: id enim agunt ut principis sui ministri.

Quare hic Aluar. disp. 41. An per peccatum primi parentis vel aliorum hominum diabolus acquirat specialem aliquam potestatem, aut dominium regum super homines, ratione cuius dicatur rex eorum & caput? Sed quia locus huius questionis proprius, ubi tractatur a D. Tho. & eius expositoribus, est in q. 49. a. 2. ideo illuc vsque differatur.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum Antichristus etiam possit dici caput omnium malorum.

A D octauum sic proceditur. Videtur, quod Antichristus non sit caput malorum. Vnus enim corporis non sunt diuersa capita. Sed diabolus est caput multitudinis malorum. Non ergo Antichristus est eorum caput. Præterea: Antichristus est membrum diaboli. Sed caput distinguitur a membris: ergo Antichristus non est caput malorum.

Præterea: Caput habet influentiam in membra. Sed Antichristus nullam habet influentiam in malos, qui eum præcesserunt. Ergo Antichristus non est caput malorum.

Sed contra est, quod Iob. 21. super illud, Interrogate quem libet de viatoribus, dicit glossa. Dum de omnium malorum corpore loqueretur, subito ad omnium iniquorum caput Antichristum verba conuertit.

Respondendo dicendum, quod sicut supra dictum est, in capite naturali tria inueniuntur, scilicet ordo, perfectio, & virtus influendi. Quantum igitur ad ordinem temporis, non dicitur Antichristus esse malorum caput, quasi eius peccatum præcesserit, sicut præcessit peccatum diaboli. Similiter etiam non dicitur esse caput malorum propter virtutem influendi: etsi enim aliquos sui temporis ad malum sit conuersurus, exterius inducendo: non tamen illi, qui ante eum fuerunt, ab ipso sunt in malitiam induciti, nec etiam eius malitiam sunt imitati, unde secundum hoc non possit dici caput omnium malorum, sed aliquorum. Relinquitur ergo, quod dicatur caput omnium malorum propter malitiam perfectionem. Unde super illud secunda ad Thessal. 2. Ostendens se tanquam sit Deus, dicit glossa. Sicut in Christo omnis plenitudo diuinitatis inhabitauit, ita in Antichristo omnis malitiae plenitudo: non quidem ita quod humanitas eius sit assumpta a diabolo in vnitatem persone, sicut humanitas Christi a filio Dei: sed quia Diabolus suam malitiam eminentius ei infuserat suggerendo, quam omnibus alijs. Et secundum hoc omnes alij mali, qui præcesserunt, sunt quasi quadam figura Antichristi: secundum illud 2. ad Thess. 2. Mysterium iam operatur iniquitatis.

Ad primum ergo dicendum, quod Diabolus, & Antichristus non sunt duo capita, sed vnum, quia Antichristus dicitur esse caput, in quantum plenissime inuenitur in eo impressa malitia diaboli. Unde super illud secunda ad Thessal. 2. Ostendens se tanquam sit Deus, dicit glossa. In ipso erit caput omnium malorum, scilicet Diabolus, qui est Rex super omnes filios superbiae. Non autem dicitur in eo esse per vnitatem personalem, nec per intrinsecam inhabitationem, quia sola Trinitas menti illabitur, ut dicitur in lib. de 1. 1. huius Ecclesiæ. dog.) sed per malitiam effectum.

Ad secundum dicendum, quod sicut caput Christi est Deus, & tamen ipse est caput Ecclesiæ (ut supra dictum est) ita Antichristus est membrum diaboli, & tamen est caput malorum.

Ad tertium dicendum, quod Antichristus non dicitur caput omnium malorum propter similitudinem influentia, sed propter similitudinem perfectionis. In eo enim diabolus quasi malitiam suam ducit ad caput per modum, quo dicitur aliquis ad caput suum propositum ducere cum illum perfecerit.

Forma Textus.

PRÆMISSIS conditionibus capiti naturali conuenientibus respondetur quaesito triplici conclusionem. Conditiones capitis naturalis sunt ordo, perfectio & virtus influendi.

PRIMA CONCL. est: Quantum ad ordinem temporis non dicitur Antichristus esse malorum caput. Probatur: Quia eius peccatum non præcessit, sicut præcessit peccatum Diaboli.

SECVN-

SECUNDA CONCL. Antichristus non dicitur esse A  
malorum caput propter virtutem influendi. Probat: Quia etsi aliquos sui temporis ad malum sit conuersurus exterius inducendo: non tamen illi, qui ante eum fuerunt, ab ipso sunt in malitiam induciti, nec etiam eius malitiam sunt imitati: ergo secundum hoc non potest dici caput omnium malorum, sed aliquorum.

TERTIA CONCL. ex prædictis à sufficienti diuisione deducta talis est: Antichristus dicitur caput omnium malorum propter malitiam perfectionem. Probat: auctoritate Glossæ dicentis: Sicut in Christo omnis plenitudo diuinitatis inhabitauit, ita in Antichristo omnis malitiae plenitudo: Quorum verborum sensum explicans S.D. tria dicit. Primum est, non ita intelligendam esse similitudinem hanc inter Christum Dominum & Antichristum, ut huius humanitas à Diabolo sit assumenda in unitatem personæ, sicut in Christo assumpta fuit eius humanitas à persona Verbi: Secundum est in hoc consistere dictam similitudinem: quod Diabolus suam malitiam eminentius influet Antichristo suggerendo, quam omnibus alijs: sicut Christo, quatenus homo, dona spiritualia Deus influit eminentius, quam omnibus alijs. Tertium ex hoc deductum est, omnes alios malos, qui præcesserunt, esse quasi quædam figuram Antichristi, ut significat Apost. 2. ad Thessal. 2. Dicens: *Mysterium iam operatur iniquitas ista.*

Expositio Textus.

VIDENTUR tunc, quæ de Antichristo scribunt Medina super hoc art. Bellarm. lib. 3. de Romano Pontifice Suar. infra Disput. 4. Valentia circa finem suorum Com. ad hanc 3. partem ubi agit de signis & rebus antecedentibus communem resurrectionem, & extremum iudicium, Maluenda in suo opere de Antichristo, & alii recentiores.

Vide præter ea: quæ circa responsionem ad quæsitum (quam in tres distinximus conclusiones) notat Caiet.

### Controuersia Vnica.

An Antichristus possit etiam dici caput Demonum?

Propositio duplici opinione, altera Cai. negantis, & altera Suarezij affirmantis, defenditur sententia Cai.

PROPONIT hic sibi dubitationem Cai. An Antichristus dicatur caput omnium malorum, tam Demonum, quam hominum, an hominum tantum, & respondet Antichristum non esse Demonum caput, sed malorum hominum tantum. At Suarez in suo Com. ad hanc art. existimat esse probabile tertiam conclusionem S.D. intelligendam esse de omnibus malis, etiam comprehendendo Dæmones præter Luciferum, cui opinioni videtur fauere Val. in modo loquendi dicens Antichristum dici caput omnium malorum saltem hominum: quia loquendi forma significat dici posse probabiliter Antichristum esse etiam Demonum caput.

Reijcitur opinio primæ Suarezij.

Sed mihi nec vera nec probabilis videtur hæc opinio: ut optime probat Caiet. hoc argumento: Antichristus nec ordine, nec virtute, nec perfectione excedit Dæmones in malitia: ergo non Demonum sed malorum tantum hominū est caput: Antec. probatur: Quoniam Antichristus futurus est purus viator: ergo non est habiturus ita malam voluntatem sicut habent Dæmones: qui in quolibet opere suo sunt mali: adeo ut etiam naturalibus actibus malas apponant circumstantias: Antichristum autem nihil prohibet operaturum esse aliquid de genere suo bonum, sine mala circumstantia: puta quia honorabit parentes & huius-

modi. Vnde (inquit) Angelum habebit custodem, cuius suasionem quandoque ab aliquo malo desisteret: Sed rationem hanc reprehendit Suarez: Quia, si ratio hæc (inquit) aliquid valet, etiam probat neque omnes malos homines posse in hoc titulo intelligi: quia etiam damnati homines habent voluntates obstinatas sicut Dæmones: igitur inefficax est ratio Caietani. Nam licet probet ratione status excedi in malitia statum cuiuslibet viatoris à statu damnatorum, tamen in intensione vel multitudine malitiæ superare interdū potest viator damnatum. Sed efficacem esse rationem Caiet. tribus præmissis ostendo. Primum est quemlibet Angelum secundum genus, & speciem suam esse nobilioris naturæ, quam quilibet homo. Secundum est, Angelos præuicaciter tota vi & intensione suæ voluntatis propriam excellentiam, seu beatitudinem inordinate appetuisse, ut communiter videntur affirmare Sancti Doctores interpretes in prima parte, quæ 63. Tertium est, homines qui nunc sunt damnati, in duplici statu posse considerari: primus est viæ, secundus est termini: Et in statu quidem viæ certum est Antichristum fuisse eorum caput, ut probatur in textu: status vero termini damnatorum hominum dupliciter potest considerari: Vno modo secundum se: & sub hac ratione seu consideratione præcisè damnatis hominibus repugnat, ut Antichristus sit eorum caput. Nam æque probat argumentum Caietani damnatos homines, sicut & Dæmones non esse membra Antichristi: quia scilicet longe perfectiorem habent malitiam. Sicut enim charitas & ceteræ virtutes supernaturales maiorem, simpliciter loquendo, habent in beatis perfectionem, quam in viatoribus iuxta illud Mat. 17. Qui autem minor est in Regno Cælorum, maior est illo. (Vnde S. Thom. in 2. 2. quæst. 24. art. 7. ad 3. ait charitatem viæ nunquam posse adæquare charitatem patriæ: quia non est eiusdem rationis quantitas in utraque) ita malitia damnatorum omnium maior est, quam malitia viatorum, nec illa per hanc poterit vnquam adæquare: quia non est eiusdem rationis quantitas in utraque. Alio modo considerari potest status damnatorum in ordine ad statum viæ præcedentem, & ad operationes, & malitiam eiusdem status: & hoc modo certum est homines in inferno damnatos sub Antichristo capite, velut eius membra contineri: quia eadem habent demerita, & eadem est in eis malitia secundum substantiam, per quam Antichristi membra facti sunt. Et licet malitia damnatorum sit maioris contuminationis & perfectionis, atque adeo quantitatem habeat alterius rationis à quantitate malitiæ Antichristi viatoris: secundum quam rationem ut sic præcisè consideratam non habent homines damnati, ut sint membra Antichristi viatoris: simpliciter tamen asserendum est Antichristum esse caput eorum ob dictam causam: Et per hæc soluitur argumentum Suar. Et quamuis admitteremus malitiam alicuius viatoris esse posse maiorem intensiue & extensiue, quam sit cuiuslibet hominis damnati malitia, ac proinde posse viatorē hominem esse caput omnium hominum damnatorum, nunquam tamen (ut arbitror) fieri potest, ut hominis viatoris malitia sit intensior malitia Demonum: qui cum sint nobilissimæ naturæ, tota etiam vi suæ voluntatis inordinate feruntur in voluta.

Vide etiam ea, quæ scribit Cai. circa responsiones ad primum & secundum argumentum.

Confutatio